APPENDIX
ad Disputationem Theologicam de Iuramento Fidelitatis.

IN QVO
Omnia Argumenta, quæ à *Francisco Suarez* celeberrimo Societatis IESV Theologo pro potestate Papali Principes deponendi, & contra recens Fidelitatis Iuramentũ allata sunt, dilucidè examinantur.

A
ROGERO WIDDRINGTONO
Catholico Anglo.

47 F.
6.58





3. Esdræ 3.
Super omnia autem vincit veritas.

ALBIONOPOLI
Apud RVARDVM PHIGRVM.
Anno Salutis. 1616.



72... 6506
~~1563:02~~



Ad Lectorem.



Ostquam Disputatio illa de Iuramento Fidelitatis, quam nuper emisi, & Sanctissimo Domino Pavlo Papę quinto *dedicaui, iam typis excusa esset, statim incidi in librum* [a] *quendã à* Francisco Suarez *celeberrimo Societatis Iesu Theologo aduersùs Apologiam* Regis *nostri Serenissimi confectum, &* Conimbricæ *paucis ante mensibus impressum, in quo ipse hanc de* Iuramento Fide-litatis *controuersiam multò quidem copiosiùs, quàm alius quispiam hactenus disputauit. Et tametsi vniuersa, quæ ipse ad Iuramentum impugnandum congerit, argumenta, eadem planè*

a *Cui titulus est*, Defensio fidei Catholicæ *&c. Conimbricæ impressum.* 1613.

ſint, quod ad rem ipſam attinet, quæ à me in dicta Diſputatione *examinata ſunt, ne tamen rumor duntaxat, quòd vir adeò eruditus prolixam aduerſus* Iuramentum *illud* Diſputationem *confecerit, aliquam fortaſsis hominibus præſertim imperitis, & qui eiuſmodi libros non veritatis ſtatera, ſed populari trutina, & vulgi opinione penſitant, anſam præberet imaginandi, me hanc de* Iuramento Fidelitatis *controuerſiam non ſatis accuratè examinaſſe, neq; præcipua argumenta, quæ contra* Iuramentũ *illud obijci poſſunt, diligenter expendiſſe, vt æquis rerum æſtimatoribus facerem ſatis (nam illis, qui affectu magis, quàm ratione ducuntur, ſatisfieri vix poteſt) atq; nihil momenti, quod ad difficilem hanc quæſtionem dilucidandam attinet, indiſcuſſum relinquerem, omnia, & ſingula argumenta, quæ vir iſte alioqui ſanè doctiſsimus aduerſus* Iuramentum *obijcit,*

ijcit, in medium etiam proferre, eaq; breuiter, ac synceré examinare necessarium esse duxi; quod quidem in Anglicana præfatæ Disputationis *Editione, quæ breui post prodijt, per modum* Appendicis *fideliter perfeci: Illumque* Appendicem *nihil fere momenti addito, substracto, aut immutato Latinè nunc reddere, non abs re esse censeo, vt ita omnes perspicuè intelligant, quibus fundamentis tam illi, qui* Iuramentum *illud, vt illicitum condemnant, quàm qui illud licitè præstari posse defendunt, innituntur, & vtrum Catholici Angli, qui Regio Edicto obtemperantes hoc* Iureiurando *sese obstrinxerunt, tam fœdo Apostasiæ, & fidei abnegationis crimine, sicut* Card. Bellarminus, *& quidam alij, suæ præsertim Societatis, nimis rigidi Censores, illis imponere non verentur, condemnandi sint, clarissimè dijudicare possint. Reuerentia, qua* Sedem Apostolicam,

quæ veritatis magistra esse debet, venero, pietas, qua Principem, & Patriam colo, amor veritatis in hac controuersia grauissima, quæ obedientiam Deo, & Cæsari debitam tam intimè attingit, perdiscendæ, ingens vltimæ temporalis Catholicorum nostratium ruinæ deuitandæ desiderium, & ne exigua quidem proprij emolumenti expectatio, aut minima, testem invoco Deum, in Ordinem aliquem, aut personam maleuolentia, vt quidam falsò, & irreligiosè, parcat illis Deus, mihi imponere non pertimescunt, me ad hanc arduam, & periculosam controuersiam, cum debito erga eos, quos alioqui venerari teneor, honore, syncerè examinandam impulerunt. Atque istæ impulsiones me his nouis, & procul dubio scandalosis, prout à Suarez, alijsque nonnullis suæ societatis Theologis traduntur, opinionibus, hoc præsertim tempore, contradicentem apud æquos rerum æstimatores

tores

tores (nam ijs, quos propriæ affectiones à veritate syncerè investiganda abducunt, satisfieri vix possibile est) ab omni temeritatis nota excusare abundè, vti spero, sufficient. Quod enim tempus magis oportunum excogitari potest, vt nos Angli Catholici aduersùs has nouas, & perniciosas opiniones totis viribus opponamus, quàm hoc, proh dolor, tempore infælici, quando violenta hæc earum propugnatio, & non tam solidis argumentis nixa, quàm captiosis consequentijs, & sophismatibus fulta, atque clamoribus, calumnijs, & comminationibus, indies communita, grauem Principis *nostri, alioquin clementissimi, indignationem in nos concitauit, bona omnia temporalia tam corporis, quàm fortunæ, quibus nos, aut posteri nostri in hac vita frui possumus, amittendi, nos in discrimen maximum adduxit, &, quod cæteris deterior est, Religionem Catholicam*

 apud

apud Catholicæ fidei aduersarios despicatissimam fecit? Quid enim hîc magis frequens in ore omnium reperitur, quàm nos Anglos Catholicos iuxta doctrinam, quam celeberrimi Religionis nostræ Doctores Catholicam, & de fide tenendam *esse conclamitant, fideles* Principi nostro Serenissimo *subditos esse non posse, immo, & quod horreo dicere, posse spiritualem Ecclesiæ Pastorem cuivis licentiam tribuere* Principem *supremum*, qui ad vindictam malefactorum gladium portat, *si per sententiam Summi* Pontificis *excommunicatus, aut regnandi iure priuatus fuerit*, gladio, *proh scelus*, interimendi? *Atque hæ rationes viros, qui Deum, & iusta eius iudicia pertimescunt, ab occultis saltem cordis mei intentionibus, quæ, testis est mihi Deus, purissimæ, & syncerissimæ sunt, in pessimam partem interpretandis, facilè, vti spero, deterrebunt. Nam*

quantum

quantùm ad eos, qui sub zeli, videlicet, *prætextu non solùm facta, sed & cogitata mea in pessimum sensum detorquent, & rumores improbissimos in non leuem nominis mei iacturam de me quotidie in vulgus spargunt, diuinam precor clementiam, vt temeraria eorum iudicia, atque maledicta illis condonet, eosque obnixè rogo, vt sedulò secum perpendant, quàm horrendum in hora mortis illis erit, verissimam illã* S. Augustini [b] *sententiam ante mentis suæ oculos positam habere :* Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit non redditur, non agitur Pœnitentia sed fingitur, si autem veracitèr agitur, non remittitur peccatũ, nisi restituatur ablatum.

b *Epist.* 54. *ad Macedonium.*

INDEX

Eorum, quæ in hoc APPENDICE continentur.

Sectio 2.

Sec. 2.

Locus ille Scripturę, *Pasce oues meas*, examinatur.

Sec. 3.

Argumentũ *Suarez* ex illis verbis Matth: 16. *Quodcunque solueris* &c. petitum fusé examinatur.

Sec. 4.

Argumentũ *Suarez* ex duobus factis Apostolorum *Petri* & *Pauli* desumptum dissoluitur.

Sec. 5.

Secundum principale *Suarez* argumentum ex Ecclesię praxi depromptũ diluitur.

Sec. 6.

Argumentum *Suarez* ex ratione (nempe ex titulo iustę punitionis, & defensionis) ductum syncerè proponitur.

Sect. 7.

Prima Argumenti pars, quam *Suarez* ex titulo iustę punitionis desumit, perspicuè dissoluitur.

Sect. 8.

Secunda Argumenti pars, quam *Suarez* ex titulo iustę defensionis trahit,

hit, clarissimè diluitur.

Sect. 9.

Duplex incommodum, quod ex prędictis rationibus à *Suarez* allatis consequitur, commemoratur.

Secunda *pars* Appendicis; *In qua vniuersa Argumenta, quæ* Suarez *ad Iuramentum Fidelitatis impugnandum congerit, breuiter discutiuntur.*

Sectio prima.

Quæ sit obedientia spiritualis, & quæ ciuilis declaratur, & professio Fidelitatis, quam tredecim Sacerdotes Angli olim Reginæ *Elizabethæ* exhibuerunt, ad verbum recensetur.

Sect. 2.

Iuramentum à *Suarez* in quatuor partes diuiditur, & *prima* obiectio contra illa verba *Supremus Dominus noster Rex Iacobus*, diluitur.

Sect. 3.

Expenditur ratio *Suarez*, qua illam clausulam *Quod Papa non habeat potestatem Regem deponendi &c.* impugnare contendit. *Sect.* 4.

Sect. 4.

Secunda pars Iuramenti iuxta *Suarez* diuisionem expenditur; quonam iure, & qualem communicationem humanam Excommunicatio tollat, explicatur, & quid nomine Proditionis, & proditoriæ Conspirationis in hoc Iuramento significetur, declaratur.

Sect. 5.

Argumenta *Suarez* contra *tertiam* Iuramenti partem dissoluuntur, & quomodo hæc pars nihil præter ciuilem obedientiam *Principibus* Christianis debitam, contineat, explicatur.

Sect. 6.

Quarta & vltima Iuramenti pars expenditur, & Argumenta contra eam à *Suarez* allata dissoluuntur.

Sect. 7. & vltima.

Vnica obiectio, quam *Suarez* contra Iuramentum in generali vrget, diluitur, Eum non fuisse recte informatum ostenditur, & sic *Appendix* iste, cum breui ad *Suarez* Peroratione, concluditur.

Forma *Iuramenti* Fidelitatis lege Regia in ANGLIA ſtabiliti.

EGo A. B. *verè, & ſyncerè agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea coram Deo & mundo, quòd Supremus Dominus noſter* Rex Iacobus *eſt legitimus, & verus Rex huius Regni, & omnium aliorum* Maieſtatis ſuæ *Dominiorum, & Terrarum.*

Et quòd Papa *nec per ſeipſum, nec per vllam authoritatem Eccleſiæ, aut per vlla alia media cum quibuſcunq; alijs aliquam poteſtatem vel authoritatē habeat Regem deponendi, vel de aliquibus* Maieſtatis ſuæ *Regnis aut Dominijs diſponendi, vel alicui Principi extraneo, ad ipſum damnificandum, aut terras ſuas invadendum authoritatem concedendi, vel vllos Subditorum ſuorum ab eorum* ſuæ Maieſtati *ſubiectione, & obedientia exonerandi, aut vllis eorum licentiam, vel facultatem dandi vt arma contra ipſum gerant, tumultus excitent, aut aliquam violentiam vel damnum,* Maieſtatis ſuæ *Regiæ perſonæ,*

ſonæ, Statui, vel Regimini, aut aliquibus Maieſtatis ſuæ *ſubditis intra ſua Dominia offerant.*

Item iuro ex corde, quòd non obſtante vlla declaratione, vel ſententia excommunicationis, vel depriuationis facta vel conceſſa, aut facienda vel concedenda, per Papam, vel Succeſſores ſuos, vel per quācunq; authoritatem deriuatam, aut deriuari prætenſam ab illo, ſeu à ſua Sede, contra dictum Regem, Hæredes, aut Succeſſores ſuos, vel quacunq; abſolutione dictorū Subditorū ab eorum obedientia, fidelitatē & veram obedientiam ſuæ Maieſtati, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis præſtabo, ipſumq́;, & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes, & attentata quæcunq;, quæ contra perſonam illius vel illorum, eorumq́; Coronam, & dignitatem ratione vel colore alicuius eiuſmodi ſententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam: Omnemq́; operam, impendam, vt Maieſtati ſuæ, *Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis, reuelem & manifeſtas faciam omnes Proditiones, & proditorias conſpirationes, quas contra illum, aut aliquos illorum attentari cognoſcam, vel audiam.* *Præ-*

Præterea iuro, quod ex corde abhorreo, detestor & abiuro, tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilẽ doctrinã, & Positionem, Quòd Principes per Papam excommunicati, vel depriuati possunt per suos Subditos, vel alios quoscunque deponi, aut occidi.

Et vlteriùs credo, & in conscientia mea resoluor, quòd nec Papa, *nec alia vlla persona quæcunq́, potestatem habeat me ab hoc Iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi. Quod Iuramentum agnosco, rectà, ac plena authoritate esse mihi legitimè ministratum, omnibusq́ Indulgentijs ac dispensationibus in contrarium renuncio. Hæcq́ omnia planè, ac syncerè agnosco, & iuro iuxta hæc expressa verba à me prolata, & iuxta planum & communem sensum & intellectũ eorundem verborũ, absq́ vlla æquiuocatione, aut mentali euasione, aut secreta reseruatione quacũq́. Hancq́ recognitionem, & agnitionẽ, facio cordialiter voluntariè, & verè in vera fide Christiani viri. Sic me Deus adiuuet.*

Decretum Curiæ Parliamenti
factum die 26. & exequutioni
mandatum 27. Iunij
1614.

Contra

LIBRVM Coloniæ præsenti anno impressum, cui Titulus est, *Francisci Suarez Granatensis Societat. Iesu Doctoris Theologi, Defensio fidei Catholicæ, & Apostolicæ, aduersus Anglicanæ sectæ errores*, continentem plurimas maximas, & propositiones supremis Regũ potestatibus, à Deo ordinatis, & stabilitis, securitati suarum personarum, & paci, ac tranquillitati suorum Statuum aduersantes.

*Locus * vbi Regia insignia collocantur.*

Apud F. *Morel*, & P. *Mettaier* Ordinarios Regis Typographos, & Bibliopolas. 1614.

Cum priuilegio suæ Maiestatis.

Extractum ex Registris Parliamenti.

CUria magnæ *Cameræ, Criminalis*, atque *Edicti*, viso libro *Coloniæ* præsenti anno impresso, cui titulus est, *Francisci Suarez Granatensis, è Societate Iesu Doctoris Theologi, Defensio fidei Catholicæ, & Apostolicæ aduersus Anglicanæ sectæ errores*, qui in tertio libro cap. 23. pag. 376. 79. 80. 82. cap. 29. pag. 410. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. cap. 6. pag. 834. cap. 8. p 844. & alijs in locis plurimas propositiones continet supremis Regum potestatibus a Deo ordinatis, & stabilitis aduersantes, & quòd licitum sit eorũ subditis, atque exteris contra suas personas machinari : Conclusiones generales Regij Procuratoris.

Quibus omnibus consideratis

Dicta *Curia* declarauit, & declarat, propositiones, & maximas in præfato libro contentas esse scandalosas, & seditiosas, tendentes ad euersionem Statuum, atque ad inducendos Regũ, & supremorum Principum subditos, aliosque, vt contra sacratas eorum

personas

personas moliantur: & verba, quæ mentionem faciunt Regum *Clodouei*, & *Philippi Pulchri* esse falsa, & calumniosa. *Decreuit, & decernit, præfatum Suarez librũ per Exequutorem supremæ iustitiæ in atrio Palatij comburendũ esse:* Prohibuit, & interdixit, ac prohibet, & interdicit Bibliopolis, & Typographis, ne eum imprimant, vendant, aut diuulgent, & quibuscunque personis cuiuscunque qualitatis, & conditionis fuerint, ne eum habeant, exscribant, aut retineant, in Scholis vel alibi doceant, aut disputent præfatas maximas, & propositiones: Decernit iuxta Edictum factũ die 8. Iunij 1610, vt Decretum Facultatis Theologicæ factũ die 4. Iunij eiusdẽ anni de renouanda Doctrinali Censura dictæ Facultatis facta anno 1408. à Concilio Constantiense confirmata, simul cum præsenti Decreto, sicut etiam illa anni 1578. & 95. singulis annis die quarto Iunij relegenda sint, tam in dicta Facultate, quàm in Collegio Præsbyterorum, & Scholasticorum Collegij Claramontani, & quatuor Mendicantium: Atque vt ad instantiam Generalis

ralis Regij Procuratoris informationes capiantur de transgressionibus dictorum Decretorum, & inhibitiones fiant de exscribendis, habendis, & retinendis similibus libris. Factum in Parliamento vigesimo septimo die Iunij, anni millesimi sexcentessimi quarti.

Signatum. *Voisin.*

Præterea decretum est, vt Patres, Ignatius Armandus *Rector in hac ciuitate,* Cottonus, Frontonus, *&* Sirmundus *ad comparendum prima die in Curia citandi sint, illisque denunciandũ, quòd contra declarationem, & decretum sui Generalis factum anno* 1610. *liber* Suarez *impressus, atque in hanc ciuitatẽ importatus fuerit, contra auctoritatem Regis, & securitatem suæ personæ, & Status, illisq́; iniungendum sit, vt prædictum Decretum à suo Generali renouandum, & publicandum esse curent, & authenticum illius exemplar intra tres menses introducant, atq́; vt caueant, ne aliqui libri, qui tales damnabiles, & perniciosas propositiones continent, ab aliquo suæ Societatis conficiantur, aut in lucem mittantur:*

tur: Illisque iniungendum sit, vt in suis Concionibus populum ad doctrinam prædictis propositionibus contrariam exhortentur. Alioquin Curia procedet contra transgressores, sicut contra reos læsæ Maiestatis, & pacis publicæ perturbatores.

Præfatum Decretum, & quod Decretum est, publicata sunt in præsentia Patrum, *Ignatij Armandi*, *Caroli de la Tour*, qui venit in loco *Petri Cottoni* absentis, *Frontoni Ducæi*, & *Iacobi Sirmundi*. Et Decretum exequutioni mandatum est coram magnis gradibus Palatij 27, Iunij 1614.

APPENDIX
ad Disputationem Theologicam de Sacramento Fidelitatis.


Unc *Appendicem* in duas partes principales distribuemus. In *prima*, omnia, & singula argumenta syncerè expēdemus, quę *Suarez* affert ad probandum, esse in Summo *Pontifice* potestatem *Principes* deponendi, eosque pænis quibuscūq; temporalibus coercitiuè castigandi. In hac enim doctrina, quam ipse *Catholicam*, & *de fide certam* esse falsò supponit, tanquam in vnico, ac firmissimo fundamento singularum fermè obiectionum, quas contra *Iuramentū* conficit, vires constituit. In *secunda*, omnia, & singula argumenta, quæ ad *Iuramentum* ipsum speciatim impugnandum proponit, breuiter, ac perspicuè examinabimus.

Pars prima.

In qua omnia argumenta, quę *Suarez* affert ad probandum, esse in Summo *Pontifice* potestatem *Principes* deponendi, syncerè examinantur.

SECTIO prima.

In qua status controuersiæ proponitur, & quædam præludia, quæ Suarez *ad suam sententiam meliùs confirmandam adducit, expenduntur.*

1. Ntequam *Suarez* ad singulas IVRAMENTI clausulas discutiendas aggrediatur, verū præsentis controuersiæ statum proponit: An scilicet certum sit, *in vltima forma iurandi à Rege Angliæ inventa solam obedientiam ciuilem, & professionem supremæ dignitatis Regiæ in suo ordine, & gradu, à subditis exigi, vel præter obedientiam ciuilem, etiam ecclesiasticam obe-*

c *Lib.6.cap.1. num.8.*

dientiam, & supremam spiritualem Summi Pontificis *potestatem, atque primatum aliquo modo vel expressè, vel tacitè in hoc Iuramento abiurari?* Qui enim *Iuramentum* licitè, tutaque conscientia præstari posse opinantur, illud primũ affirmant, *Suarez* hoc secundum confirmare totis viribus contendit.

2 Hoc autem vt Lectori planũ, ac perspicuum faciat, vnicum supponit fundamentum, cui argumenta omnia, quæ contra *Iuramentum* adducit, potissimùm innituntur; esse nimirum indubitatum fidei Catholicæ dogma, quod penes Summum P*ontificem* sit potestas P*rincipes* deponendi, atque de omnibus temporalibus, vt-puta de dominijs, de corporibus, de vita, & morte tam P*rincipum*, quam Subditorum in ordine ad bonũ spirituale disponendi. Quæ quæstio de illimitata Summi Pontificis potestate Principes supremos suis dominijs priuandi, eosque pœnis quibuscunque temporalibus castigandi tractatur à *Suarez* libro tertio cap. vigesimo tertio, ad quem locum sæpe sæpius in hac sua de *Iuramento* disputa-

tione lectorem remittit. Et quantũuis ipse ad hanc suam doctrinam confirmandam nulla alia fere argumenta adducit, quàm quæ antea à *Card. Bellarmino* allata sunt, quibus & ego iamdudum in mea *Apologia* satisfeci, & eadem non ita pridem *Ioannes Barclaius* eruditè admodum confutauit, quarum tamen Responsionum *Suarez* nullam planè mentionem facit, ac si ipse aut libros illos non vidisset, aut certè non perlegisset, nihilominus vt lectori amplius satisfaciam, atq; perspicuè ostendam, eadem argumenta, quæ *Suarez* iam tandem adducit, antea sæpiùs soluta esse, illa, quæ *Suarez*. Denuo repetit iterum repetere, easdẽque responsiones antea à nobis positas de integro reponere, non à re alienum esse censeo.

3. In primis igitur *Suarez*, vt lectoris sui animum ad huic nouo Catholicæ (*scilicet*) fidei dogmati assentiendum paulatim muniat, illique peditentim persuadeat, doctrinam hanc pro potestate Papali, *Principes* deponendi, eosque pœnis quibusqunque temporalibus coercendi, esse *certam*,

fideque Catholica tenendam, audacter pronunciat,[d] *omnes Catholicos doctores eam docere, & Marsilium Patauinum, aliosq; Ecclesiæ hostes contrarium cōmentos esse.* Quod tamen eius pronunciatum falsissimum esse alibi [e] copiosé commonstraui, vbi tum plurimos Doctores Catholicos, tam antiquiores, quam Neotericos, qui hanc doctrinam pro potestate Papali *Principes* abdicandi impugnarunt, recensui, tum plures rationes non contemnendas adduxi, [f] ob quas talis doctrina ab ipso sui primordio, nempe à tempore *Gregorij Papæ septimi*, qui, vt historici tradunt, primus erat omnium Pontificum Romanorum, qui *præter morem Maiorum*[g] *Cæsarem* Imperio priuauit, tam multos Patronos, & contraria tam paucos habuerit. Et tametsi verum sit, *Marsilium Patauinum* hanc quidem sententiam sequutum esse, sicut etiam potissima fere omnia Christianæ fidei principia amplexatus est, quæ non propterea condemnanda sunt, quòd ipse ea tutatus fuerit, attamen, neque *Suarez*, neque alius quispiam solidè comprobare poterit, vel

d *Lib.* 3. *cap.* 33. *nu.* 1.

e *In mea Apologia nu.* 4. *& in disputatione, cap.* 3. *sect.* 3. *nu.* 5.

f *In Apologia. nu.* 449. *& in disput. cap.* 3. *sect.* 3. *nu.* 15.

g *Onuphrius in vita Gregorij.* 7. *vide verba Onuphrij infra part.* 2. *sect.* 6. *nu.* 11.

Marsilium, vel Libros eius ea de causa ab Ecclesia proscriptos esse, quod ipse hanc temporalem summi Pontificis *Principes* deponendi potestatem impugnauerit.

4. Etenim *Marsilius* non paucos etiam errores propugnauit, ob quos Libri eius meritò prohiberi poterant, vt primò. *S. Petrum non fuisse caput Apostolorum.* [h] 2. *Vnum Episcopum non esse aliò superiorem, immo neq; à Sacerdote differre, sed omnes sacerdotes, quod attinet ad clauium potestatem, Episcopos esse.*

h Pars 2. cap. 15 16. 22. & 28.
i Cap. 15. 16. & 22. & pars 3. Conclus. 17.

3. *Sacerdotes noua legis non absoluere à peccatis, sed absolutos tantùm declarare.* [k] 4. *Episcopos, ac Ministros Euangelicos non habere rerum temporalium Dominium, seu proprietatem* ([l] neq; enim negabat *Marsilius*, posse eos licitè bona temporalia possidere, tametsi *Castro*, *Patreolus* & *Sanderus* hoc illi imponant) *quintò, solum Episcopū, presbyrum, aut alicuius ipsorum particulare collegium non posse absq; Principis, seu fidelis legislatoris authoritate quenquam excommunicare, vel diuinorum officiorum vsum inter dicere* [m].

k Pars 2. cap. 6
l Pars 2. ca. 14
m Part. 2 c. 6 & 26. & part.

5. Quod igitur *Suarez* affirmat, [n] citans *Azorium* in margine, *ipsum etiā Marsilium Paduanum, vt referunt, non esse ausum negare, posse Pontificem coercere Principes, & Reges, presertim hæreticos, per Censuras Ecclesiasticas Excommunicationis, vel etiam interdicti, sed negasse posse vlterius contra illos procedere*, tum falsum est, tum planè indicat, neque *Azorium*, neq; ipsummet *Suarez Marsilij* Libros perlegisse; sed vel eos, quid de doctrina *Marsilij* suspicarentur, scriptis commisisse, vel aliorum dictis nimis credulos, quid vnus forsan scriptor, vel alter, non ex scientia, sed coniectura potiùs de *Marsilij* doctrina tradiderunt, fidem adhibuisse. Neque *Alphonsus de Castro Gabriel Prateolus, Nicolaus Sanderus*, vel ipsemet etiam *Card. Bellarminus* in suo Chronico, qui *Marsilij* errores particulatim recensent, hunc inter alios eius errores commemorant, quòd *Papa* nullam iure diuino *Principes* deponendi potestatem habeat, quod profectò euidentissimum meo iudicio signum est, præfatos Authores, quicquid de hac potestate priuatim sense-

n *Lib. 3. cap. 23. num. 9.*

 rint,

rint, non tamen reuera existimasse, doctrinam istam qui talem Potestatem Summo Pontifici attribuit, *de fide tenendam*, & contrariam vt planè *Hæreticam* à Catholicis reputandam esse. Si enim hanc *Marsilij* sententiã, vt Catholicæ fidei repugnantem, ab Ecclesia Catholica proscriptam esse pro certo habuissent, eam procul dubio inter cætera eius nefaria dogmata annumerassent, pro qua potissimùm confirmanda, librũ suum de potestate Papæ & Imperatoris, qui *Defensor pacis* dictus est, de instituto, cõscripsit, eumq; *Ludouico* quarto Imperatori à *Ioanne Papa* vigesimo secundo, tunc deposito, dedicauit.

6. Itaque non satis cauté, meâ quidem sententia, neque ad institutum suum accommodaté, *Card. Bellarminus* in suo *Schulckenio* toties meam *pro iure Principum* Apologiam *hæreseωs*, atq; *erroris* ea de causa insimulat, quòd doctrina ibi tradita, aduersùs hanc Summi Pontificis Principes deponendi potestatem, & ab Authoribus suspectæ fidei propugnata sit, & libri, qui hanc potestatem impugnarunt ab

Ecclesia condemnati fuerint. Nisi enim ostendere poterunt Aduersarij, quod sanè nunquam demonstrare possunt, Authores illos idcirco suspectæ fidei notatos, talesve libros ideo vt parum Catholicos ab Ecclesia habitos esse, quòd talem potestatem abnegauerint, nullum inde probabile argumentum concludere valent, Doctores illos, eorumve libros, qui temporalem hanc Principes deponendi potestatem impugnant, vlla vel *hæreseωs*, vel *erroris* nota aspergendos esse. Quin potius é contrario ex hoc ipso capite firmissimum argumentũ confici potest, doctrinam illam, quæ talẽ Summo Pontifici potestatem non concedit, nulla plane *hæreseωs*, aut *erroris* infamia notandam esse, quòd Doctores Catholici, qui de heresibus, atq; hæreticis conscripserunt, tametsi temporalem hanc Summi Pontificis Principes abdicandi potestatem acriter propugnauerint, contrariã tamen sententiam nulla planè *hæreseωs*, aut *erroris* macula aspergere ausi fuerint.

7 Fateor equidem *Sigisberti* libros, quos pro potestate Regia, ad-

uersùs *Gregoriũ* septimum, & *Paschalem* secundum conscripsit, in Catologo librorum prohibitorum collocatos esse; Sed quòd libri illi idcirco prohibiti fuerint, quòd potestatem Regiam propugnauerint,& temporalem illam Pastoris spiritualis Principes deponendi potestatem impugnauerint, à nemine firmiter, vti opinor, comprobari potest. Nam, vt constat ex regulis ante *Indicem* collocatis,fieri potest, vt libri illi non propter doctrinam, quam continent,proscripti fuerint, sed ea tantùm de causa, quòd contra Supremi Ecclesiæ Pastoris epistolas conscripti *Sedis Apostolicæ* dignitatem aliqnantulum imminuere, & aliquod non tam fidei,quàm moribus detrimentũ afferre ab Inquisitoribus iudicarentur. Mitto iam examinare,quod alibi forsan discutiendũ erit, quantam vim habeat Catologus ille obligandi fideles,vt certissimé credant (nam de dogmatizando contra Sacri Officij decreta iam non loquor) libros ibi nominatos doctrinam aliquam hæreticam, aut erroneam continere, & quanam scientia, num certa,

an fallibili, num diuinitus illis reuelata, an humanitus acquiſita, Theologi illi ad libros expurgandos à *Summo Pontifice* deputati nouerint, doctrinam illam, quam hæreticam eſſe declarant, re quidem vera hæreticam eſſe. Neque enim maior fides eorum decretis, quod ad fidei certitudinem attinet, à fidelibus adhibenda eſt, quàm eorum ſcientiæ, cui tanquam fundamento declaratiua eorum decreta innituntur, præſtare nos oporteat, vt cuilibet præcepti declaratiui naturam rectè expendenti facilè apparebit.

8 Quocirca, illud etiam, quod *Suarez* ſuperiùs [o] affirmauit, *Eccleſiæ hoſtes doctrinam hanc*, quæ poteſtatem Papalem *Principes* ſuis regnis priuandi abnegat, *commentos eſſe*, veritati penitus diſſentaneum eſt. Nam, & *Regnũ Franciæ*, teſte *Petro Pithæo* [p], Papalem hanc Principes deponendi poteſtatẽ, quod ſpeciatim ad *Regem Francorum* attinet, conſtanter admodum inficiatur, quod verum eſſe ſatis iam confirmat recens illud, ac ſolenne *Parliamenti Pariſienſis* decretum, [q] *Lutetiæ*

o *Num.* 3.

p *Vide in Apologia nu.* 32. *& in Diſput. cap.* 3. *ſec.* 3. *num.* 13.

cum Regis priuilegio [q] impressum, in quo *Defensio fidei Catholicæ* &c. nuper à *Suarez* edita (vt libros *Card. Bellarmini* contra *Barclaium*, & D. *Schulckenij* aduersùs *meam Apologiam*, antea damnatos taceam) ob hanc *scandalosam*, *seditiosam*, *damnabilem*, ac *perniciosam*, vt ibi appellatur, *doctrinam*, condemnatur, & per manum carnificis, publicè comburendam esse decernitur; quatuorque primarijs *Societatis Iesu* Theologis in eo decreto nominatis iniungitur, vt sub pœna perduellionis contrariam doctrinam in suis concionibus populo prædicent. Eamque sententiam *Albericus de Roxiato* [r] Iurisconsultus eximius, & *Ioannes Parisiensis* [s] insigniter à *Trithemio* laudatus amplexati sunt. Et ipsemet *Trithemius* disertis verbis affirmat [t], *de hac re Scholasticos certare, & adhuc sub Iudice litem esse, an Papa possit Imperatorē deponere.* Atque, vt vtrosq; *Barclaios*, Patrem & filium, *Georgium Blacuellū*, *Guilielmum Warmingtonum*, *Guilielmū Barrettum*, & tredecim illos Sacerdotes Anglos, de quibus infra *, aliosque complures, alibi [u] à me relatos, qui huic

q *Vide Decretum illud suprà in principio huius Appendicis.*

r *In Dictionario verbo* Electio. *Vide verba eius supra in Disput. sec. 3. cit. num. 9.*

s *Vbi supra in Disp. num. 7.*

t *In Chronico Monast. Hirsaug. ad annū 1106.*

* *part. 2. sec. 1.*

u *In Apologia num. 4. & seq.*

huic ſententiæ plurimùm fauent, miſſos nunc faciam, *plerìq́; Doctores*, vt ex *Iacobo Almaino*, & *Ioanne Gerſonio* perſpicuè conſtat, in ea ſunt ſententia, quòd *Summus Pontifex* nullam ex Chriſti inſtitutione pænas temporales infligendi, nec quidem incarcerandi, ſed ex ſola conceſſione Principum, poteſtatem habeat. *De ratione poteſtatis laicæ eſt*, ait Almainus [x], *poſſe pænã ciuilem infligere, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio* &c. *ſed nullam talem pænam ex inſtitutione diuina infligere poteſt poteſtas Eccleſiaſtica, immo nec incarcerare, vt pleriſq́; Doctoribus placet, ſed ad ſolam pænam ſpiritualẽ extenditur, vtputa, Excommunicationem, reliquæ autem pœnæ, quibus vtitur, ex iure puro poſitiuo ſunt.* *Gerſon* verò ita ſcribit [y]. *Et ſunt qui dicunt, pænam hanc [Excommunicationis] eſſe vltimã, quam infligere poſſit Eccleſiaſtica poteſtas Iuriſdictionis ex inſtitutione Chriſti ſola primaria, ſic quòd non extenditur ad incarcerationem, nec vt aliquis adiudicetur morti, vel flagello corporali, ſed facit hoc Eccleſiaſticus, dum facit, ex conceſſione Principum, quemadmodum multam ob eorum deuo-*

x *Libro de dominio naturali in probatione concluſionis ſecundæ.*

y *De poteſtate Eccleſ. conſiderat. 4.*

tionem Iurisdictionis temporalis authoritatem Clerus accepit, quæ nihilominus Iurisdictio, vel Censura dicitur spiritualis, sicut & Ecclesiasticorum bona temporalia propter dedicationẽ, & applicationẽ ad eos, qui ministrant Ecclesiæ, sicut panes propositionis, primitiæ, & decimæ, vasa insuper Templi, vestes & similia dicebantur in lege veteri sacra, vel sancta, sic & noua lex hoc retinet. Ita *Gerson.* Ex quo perspicuum est, doctrinam hanc, quæ Papalem Principes deponendi, & pœnas temporales infligendi potestatẽ ex Christi institutione pernegat, non esse ab Ecclesię hostibus inventá, vt *Suarez* falsó asserit, sed à viris Catholicis perpetuò propugnatam.

9 *Secundò*, postquam *Suarez* authoritate Scripturarum, atque rationibus Theologicis optimè comprobauerat, esse in Ecclesia, atque adeo in supremo illius Pastore, potestatẽ non solùm dirigendi, & pręcipiendi Principibus Secularibus in spiritualibus, & consequenter in temporalibus, vt ad spiritualia reducuntur, verùm etiam eos, si inobedientes, & contumaces fuerint, cogendi, atque pœnis spiritua-

libus coercendi. (*Quia vis directiua, siue coactiua inefficax est*, teste Philosopho lib 10. Ethic. cap. vltimo, *ergo si Pontifex habeat potestatem directiuam in Principes temporales, etiam habet coactiuam, si iustæ directioni per legem, vel præceptum obedire noluerint, nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & optimè instituta; quare si Pontifici dedit potestatem directiuam, dedit coactiuam, alioquin institutio facta esset imperfecta, & inefficax, ergo cùm Pontifex possit imperando efficaciter* [z] *dirigere potestatem temporalē in actibus suis, potest etiam cogere, & punire Principes sibi non obtemperantes in ijs quæ iustè præcipit*) ipse nunc tandem ad punctum principale, & præsentis controuersiæ cardinem accedit, atque probare conatur, prædictam Summi Pontificis potestatem quoscunque Christianos, qui eius præceptis non obtemperant coercitiuè castigandi, ad pœnas qualcunque temporales, prout Pontifex expediens esse iudicauerit, extendendam esse. Atque hanc doctrinam, triplici argumentorū genere, nempe Scripturæ Sacrę testimonio, approbata Ecclesię vniuersalis praxi,

z Quomodo verè dictum sit posse Pontificem efficaciter dirigere. vide infra Sec. 7.

atque rationibus Theologicis sacro Dei verbo, atque Ecclesię authoritate nixis demonstrare prętendit.

SEC. 2.

In qua ille Scripturæ locus Pasce oues meas *examinatur.*

1 DVo potissimùm sacrę Scripturę testimonia, quę ab illis Doctoribus, qui potestatem hanc Summi Pontificis Principes deponendi tuentur, afferri solent, ad hanc doctrinam, vt rem *de fide certam*, confirmandam *Suarez* adducit. Primum est illud Ioan: 20. toties inculcatum, *Pasce oues meas*, ex quo loco tale conficit [a] argumentum.

[a] *Num.* 9.

2 *Christus Dominus dedit Petro, & Successoribus potestatem corrigendi omnes Christianos etiam Reges, & consequenter, si inobedientes, atque incorrigibiles sint, eos coercendi, ac puniendi, sed hanc potestatē non limitauit ad Censuras Ecclesiasticas, ergo nec potest à nobis, vel*

ab aliquo Eccleſiæ Principe limitari, ſed ad ipſummet Romanũ Pontificem pertinet decernere, & determinare pœnam conuenientem iuxta occaſionem, vel neceſſitatẽ occurrentem.

3 *Priorem propoſitionem ſatis iam probauimus, poſteriorem autem ex verbis Chriſti ſæpè adductis, & rectè perpenſis oſtendere poſſumus. Nam verbũ Chriſti* Paſce oues meas *indefinitum eſt, vnde quatenus in verbo* paſcendi, *includitur etiam poteſtas coercendi, quæ in omni paſtore neceſſaria eſt, talis poteſtas non definitur ad Cenſuras, ſed relinquitur determinanda ad modũ pœnæ, ſeu coercitionis, per prudentiæ, & iuſtitiæ æquitatẽ. Nam quilibet Paſtor habet poteſtatem ad coercendas oues non ſecundùm determinatum modum, ſed prout fuerit conueniens, & expediens ouibus.*

4 Huic obiectioni iam antea abundè in mea Apologia ſatisfeci, eſt enim eadem prorſus, quod ad rem ipſam attinet, cum quinta *Card: Bellarmini* ratione, quam ibidem retuli, eiuſque imbecillitatem copioſè commonſtraui. Et certè hæc obiectio, ſi valida eſt, euidenter conuincit, poſſe

Summum Pontificem Principes supremos, non solùm dominijs, verùm etiam vita priuare, alijsque, vt eos interficiant, licentiam impertiri. Nam ratio eius ex hoc Scripturę testimonio desumpta tam Principum occisioni, quàm depositioni communis est, *quoniam Christus non limitauit potestatem coercendi, ac puniendi S. Petro concessã, ad Christianos Dominijs tantùm, & non vita priuandos, ergo nec potest à nobis, nec ab aliquo Ecclesiæ Principe limitari, sed ad ipsummet Romanum Pontificem pertinet decernere, & determinare pœnã conuenientem iuxta occasionem, vel necessitatem occurrentem.*

5 *Respondetur* igitur, *Christum* dominum illis verbis *Pasce oues meas* constituisse *S. Petrum* spiritualem Ecclesię suæ, quæ spiritualis non temporalis Respublica instituta est, Pastorem, & Gubernatorẽ, & consequenter omnem spiritualem potestatem, quæ ad spiritualem Rempublicam gubernandam sufficiens, & necessaria est, illi tribuisse. Et hoc duntaxat ex hoc loco perspicuè, & directè concludi potest, veruntamen quænam authori-

tas dicenda ſit ſpiritualis, quænam temporalis, & quanta coercendi authoritas ad rempublicam ſpiritualem rectè, & conuenienter gubernandandam ſufficiens, & neceſſaria ſit, & vtrùm ad ſpirituales tantùm pœnas, & Cenſuras, quæ Reipublicæ ſpiritualis naturæ, & conditioni aptè conueniunt (cum quælibet Reſpublica ex ſua natura ſubditos ſuos delinquentes caſtigare poſſit priuando illos bonis, ac priuilegijs illi Reipublicę proprijs) reſtringenda ſit, vel etiam ad depoſitiones, occiſiones, & alias quaſcunque pœnas temporales extendenda, ex illis verbis P*aſce oues meas*, ſufficienter colligi non poteſt, ſed hoc per humanũ diſcurſum ex alijs principijs Theologicis, aut in ratione naturali, aut in aliqua alia authoritate fundatis deduci debet.

6. Ego quidem exiſtimo, non poſſe vllo humano diſcurſu, ſiue ratione, ſiue authoritate nixo apertè demonſtrari, ſpiritualem hanc paſcendi, atque regendi Eccleſiam Chriſti, quæ ſpiritualis Reſpublica eſt, authoritatem ad *Principes* temporales deponen-

dos, occidendos, pænisue temporalibus coercitiuè castigandos, ex *Christi* institutione extendendã, sed ad spirituales tantùm atque Ecclesiasticas pænas, & Censuras, quæ spiritualis Reipublicæ naturæ & conditioni magis consentaneæ sunt, coarctandam esse. Atque hoc ipsum duplici via satis idoneè in mea *Apologia* commonstraui, *primò* positiuè, dum quædam probabilia argumenta tum in authoritate, tum in rationis naturalis lumine fundata adduxerim, ob quæ quilibet Catholicus huic doctrinæ prudenter assentiri possit; *Secundò* negatiuè, dum singulis argumentis, quæ à *Card. Bellarmino* ad contrariam sententiam, tanquam rem *de fide certam*, demonstrandam allata sunt, abundè ex suismet principijs satisfecerim: Neque ipsemet *Bellarminus* quantumcunque in suo *Schulckenio* meam *Apologiam* miris clamoribus insectari gratum habeat, vlla efficaci ratione, vel Respõsa mea solidè improbauit, vel rationes suas esse vllatenus conuincentes, & quæ *rem fidei*, vt ipse prætendit, *demõstrare* valent, firmiter comprobauit, vt ego

alibi, Deo volente, aduersus ipsum, tametsi iam supervacaneum plane sit, euidenter ostendam, cum iamprìdem *Ioannes Barclaius* (cui adhuc à nemine responsum est, neque profectò solidè responderi potest, aduersùs *Card. Bellarminum*, qui eadem tantùm responsa, quæ ad doctissimum *Guilielmi Barclaij* librum antea attulerat, iam in *suo Schulckenio* contra *meam Apologiam* adducat) idem non minùs doctè, quàm eleganter commonstrauerit. Atque hinc satis clarè perspici potest, quòd, tametsi Aduersarij contra me plenis faucibus vociferentur, me doctrinam hanc de potestate Papali *Principes* deponendi impugnantem apertissimis *Christi* Domini verbis, illis præsertim, *Pasce oues meas*, perspicuè refragari, nihilominus ego re quidem vera Scripturam sacram, Oecumenica Concilia, atque Ecclesiæ Catholicæ doctrinam non minori veneratione, cum omni, qua par est, submissione loquens, quàm ipsorum aliquis, reuerear, sed illas duntaxat collectiones, quas ipsi ex sacris scripturis certò concludere prætendunt, incertas esse, ne-

que ad *rem fidei demonstrandam* sufficientes, comprobare contendo.

7. Qua propter, vt sæpiùs in mea *Apologia* indicaui, *Christus Dominus* per illa verba *Pasce oues meas S. Petrum* Supremum Ecclesiæ suæ Pastorem constituit, illique sufficientem authoritatem concessit oues suas pascendi, corrigendi, atque castigandi, & Ecclesiam suam, quam spiritualem, non temporalẽ Rempublicam instituit, optimo & conuenienti modo gubernandi. Sed quoniam neque ex illis verbis *Pasce oues meas*, neque ex quocunque alio Sacræ scripturæ contextu satis colligi potest, hanc pastoralem puniendi authoritatem *S. Petro*, eiusque Successoribus concessam ad pænas temporales, quæ Reipublicæ temporali conueniunt, extendendam esse, dicimus ipsummet *Christum*, dum Ecclesiam suam, Rempub. spiritualem, non temporalem instituit, & *S. Petrum* spiritualem illius, & non temporalem Pastorem, ac Gubernatorem constituit, spiritualem illius, pascendi, ac puniendi authoritatem ad pænas, & Censuras spirituales, quæ spritualis

 Rei-

Reipublicæ naturæ, & conditioni proportianatæ sunt, satis expressè limitasse.

8. Atque hinc patet Responsio ad maiorem huius argumenti à *Suarez* allati propositionem. Neq; enim nos, aut Ecclesiæ Principes spiritualem hanc castigandi Supremi Pastoris authoritatem ad pænas tantùm spirituales restringimus, sed ipsemet *Christus*, dum illum Pastorem duntaxat spiritualem instituit, suam pascendi authoritatem, ad pænas tantùm spirituales iuxta modum Pastori spirituali accommodatum, coarctauit. Neque verum illud est, quod *Suarez* in finè huius argumenti affirmat, nempe, *quemlibet Pastorem habere potestatem ad coercendas oues non secundùm determinatum modum, sed prout fuerit conueniens, & expediens ouibus.* Nam inferiores Pastores non maiorem authoritatem habent, quam quæ à supremis Pastoribus illis concessa sit, vt tam ratio, quàm experientia apertissimè commonstrat. Et certè si istud pronunciatum ita generatim à *Suarez* prolatum veritati consonum esset, ex eo optimè

concludi posset, Reges & Principes Seculares, qui in caussis temporalibus Pastores hominum à Deo constituti sunt, potestatem habere subditos suos pænis spiritualibus castigandi, *si potestatem ad coercendos Subditos non secundùm determinatum modum haberent*, atque ita *Suarez*, pro spirituali *Principum* Secularium primatu, seu potestate, subditos suos, pænis spiritualibus castigandi corroboranda, satis pulchrum conficit argumentum.

9. Duplex igitur, vt alibi[b] obseruauimus, reperitur genus Pastorũ, "qui oues irrationales pascendi, atq; "regendi potestatem habent: vnum "eorum, qui solùm sunt Pastores "ouium; alterum, qui & ouium Pa-"stores, & simul Domini sunt. Inter "hos illud est discrimen, quòd Pa-"stores secundi generis plenum ha-"beant dominium, & potestatem "quasi illimitatam super gregem, "adeo vt si oues vel à grege errantes, "vel scabie inquinatas, aut alio quo-"uis modò gregi molestas repererint, "illas aut recludere, aut, si magis pla-"cuerit, etiam mactare possint; hec

[b] In Apologia, num. 339.

"tamen potestas non illis competit "quà Pastores, sed quà ouium Domi- "ni sunt. At Pastoribus primi generis "est quidem ouium cura concredita, "sed angustioribus terminis limitata. "Nam & gregem pascendi cura ad il- "los quidem ex officio spectat, adeo- "que munus illorum est de conueni- "enti pabulo ouibus prouidere, si à "grege deuiauerint, voce, baculo, ca- "nibus, ad gregem reuocare, si scabie, "aut alia contagione conspersæ fue- "rint, eas à reliquis separare, & reme- "dium opportunum quantocius ad- "hibere, & denique à luporum, om- "niumque ferarum incursibus, in "quantum possunt, ac debent, in co- "lumes seruare: veruntamen neque "oues errantes, aut morbo infectas, "aut alio modo gregi infestas, Do- "mino non consulto, interficere vlla- "tenus illis licet, cum solùm Pastores "ouium, & non Domini existant. "Quando igitur summus *Pontifex* "irrationalium ouium *Pastori* assimi- "latur, eiusmodi comparatio, quod "ad pænas temporales infligendas "attinet, Pastoribus primi generis

" accommodanda esse videtur.

10. *Deus* enim *Optimus Maximus*, supremus omnium tam rationalium, quam irrationalium ouium *Pastor*, ac *Dominus* duo suprema humani generis Pastorum, ac Gubernatorum genera, sub se constituit, vnum *temporalem*, qui (siue is vnus sit, siue communitas aliqua) in rebus merè temporalibus, & quatenus ad pacem publicam in hominum societate conseruandam spectant, nullum Pastorem, seu Gubernatorem supra se recognoscit, & qui supremam potestatem habet oues suas dirigendi, præcipiendi, easque, si iusto eius præcepto non obtemperauerint, gladio temporali, seu quod idem est, pœnis temporalibus, quæ temporalis Reipublicæ naturæ, & conditioni consentaneæ sunt, castigandi. vnde 1. *Paralip.* 11. de *Danide* Rege dicitur, *Tu pasces populum meum Israel, & tu eris Princeps super eum.* Et *Isaia.* cap. 44. dicit Dominus de *Cyro* Rege. *Qui dico Cyro, Pastor meus es.* Alterum, *spiritualem*, cui in rebus spiritualibus, & quatenus ad æternam animarum salutem spectant, supremam eti-

etiam potestatẽ concessit Christianos omnes, etiam Reges,& Principes supremos, qua oues sunt Christi, dirigendi, præcipiendi, atque in eos, si iusto eius mandato non obedierint, pœnis spiritualibus, quæ Reipublicæ spiritualis naturæ,& conditioni accõmodatæ sunt, animaduertendi. Neq; hactenus à quopiam firmiter comprobatum est, spiritualem hanc spiritualis Pastoris potestatem, Ecclesiam Christi, quæ corpus eius mysticum, Regnumque spirituale est, administrandi, ad pœnas temporales coercitiuè infligendas ex Christi institutione extendendam esse; sed, vt *plerisq; Doctoribus placet*, ait Almainus [c], *Excommunicationem vel aliam similem pœnam spiritualem esse vltimam, quam Iudex Ecclesiasticus ex Christi institutione infligere potest.*

c *supra sec. 2. num.8.*

11 *Sancta* enim *Dei Ecclesia*, vt rectè dixit *Nicolaus* Papa [d], gladium non habet nisi spiritualem. & *Regum est*, ait Gratianus [e], *corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum spiritualem inferre vindictam.* atque Petrus Damianus [f], *inter Regnũ, & Sacerdotium ita propria*

d *cap. inter hæc.* 33. *q.* 2.

e 2. *q.* 7. *can. Nos si.*

f *In Epist. ad Firminum Diaconum*

cuiusq;, ait, distingui officia, vt & Rex armis vtatur Seculi, & Sacerdos accingatur gladio spirituali. Et optimè *S. Augustinus* affirmat [g], *in Ecclesiæ disciplina visibilem gladium esse cessaturum, & propterea gladius materialis, quo in veteri Testamento Moyses, & Phinees vsi sunt, erat figura,* ait ille, *degradationũ & excommunicationum, quæ in lege noua exercendæ sunt, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.* Atque egregiè *S. Chrysostomus* ait, [h] *Sacerdotis tantùm esse arguere, liberamq; præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere, sed tantùm arguere, & liberam præstare admonitionem.* Et tametsi sub verbo, *arguere*, quamcumque Ecclesiasticam reprehensionem, atque correctionem, qualis est spiritualium Censurarum inflictio, comprehendat, attamẽ pœnas, & correctiones temporales ad Sacerdotis officium pertinere disertis verbis negat *Chrysostomus.* Quod si Ecclesiasticam lenitatem, *quæ*, vt ait Leo Magnus [i], *refugit cruentas vltiones,* minimè deceat gladio materiali,

g *In libro de fide & operibus cap. 2.*

g *Hom. 4. de verbis Esaiæ.*

h *in Epist. ad Turbiũ Asturicenum Episc.*

armiſque corporalibus vti, (Ita enim Card. *Bellarminus*, *Suarez*, & alij, qui Papalem hanc Principes deponendi poteſtatē tuentur, reſpondere ſolent, qui aſſerunt, perſonas Eccleſiaſticas, quâ tales, corporalibus non vti armis, non quia ex Chriſti inſtitutione illis vtendi poteſtate careant, ſed quia illis vti ſtatum Eccleſiaſticum non deceat, & proinde talium armorũ vſum lege tantùm Eccleſiaſtica, Eccleſiaſticis, quâ tales, interdictũ eſſe) non video, quo argumento efficaci demonſtrari poſſit, *Chriſtum Dominum* talem peccatores puniendi authoritatem viris Eccleſiaſticis, quâ tales, conceſſiſſe, cuius executio Sacerdotis officium, prout à Chriſto Domino inſtitutũ eſt, nequaquam decet.

12 *Secundò*, inter oues rationales, "atque rationes expertes diſcrimen "iſtud reperitur, vt [k] ibidem etiam "obſeruaui, quòd oues rationis ex- "pertes nulla prorſus habeant arma, "quibus ſe à luporum incurſibus tue- "antur, nec vlla præſentanea medi- "camenta, quorum ope ſanitatem "priſtinã, ſi contagione aliqua infecti

[k] *Num.* 337.

" fuerint, recuperare queant, sed tota
" earum salus ex pastoris peritia, ac
" vigilantia quàm maximè depen-
" deat; At fidelium Christianorum
" animæ, quæ spiritualis Christi Do-
" mini gregis oues existunt, tum spiri-
" tualia habent arma, quibus adiutæ
" cum gregis dominici hostibus for-
" titer pugnare, & ab eorum insidijs
" incolumes se seruare valeant, tum
" spiritualia etiam illis suppetunt re-
" media, quorum auxilio quoscunq;
" animi sui morbos remouere que-
" ant, immo neque à quoquam, nisi
" ipsæmet velint, lædi, aut vlla planè
" mentis ægritudine affici possunt.
" Ex quo nascitur, quòd *Pastor pecu-*
" *dum*, & *Pastor animarum* non sint si-
" mili prorsus ratione adinuicem cõ-
" parandi, neque in *Pastore animarum*
" necessaria sit tanta potestas ad lu-
" pos arcendos, & gregem Domini
" tuendum solùm propter spirituale
" animarum salutem, quæ potestatis
" spiritualis potissimus finis est (cum
" ipsæ nisi velint, lædi non possint, &
" si velint, spiritualia illis suppetunt
" medicamenta, quæ Christus in Ec-

"clesia sua reliquit, quibus spiritualia "ipsorum vulnera curare valeant) "quanta necessaria est *Pastori pecudũ* "ad oues inermes, quarum salus ex "Pastoris diligentia potissimùm, & "fere solùm dependet, à credulitate "lupi liberandas.

13 Atque hoc discrimen inter *Pastorem pecudum*, & *Pastorem animarum* S. Chrysostomus[1] rectè obseruauit. *Neque enim*, ait ille, *homini licet tanta eum auctoritate homines curare, cum quanta oues Pastor curat. Hic enim liberum est vincire, & à pabulo arcere, vrere, & secare, cum illic medicinæ, ac curationis suscipiendæ facultas posita minimè sit in illo, qui medicinam adhibet, sed in eo tantùm qui laborat.* Et paulo post discrimen etiam inter Secularem Magistratum, & Pastorem animarum his verbis declarat. *Exteri quidem Iudices, cum facinerosos homines leges transgressos fuisse deprehenderint, magna se præditos authoritate, ac potestate ostendunt, eosdemq́ vel invitos, suos ipsorum mores mutare cogunt, hic verò non vim adferre, sed suadere tantùm oportet, atq́ hac ratione meliorem efficere, quem emendandũ*

1 *Lib. 2. de Sacerdotio ante medium.*

susceperis. Neque enim nobis facultas tanta à legibus data ad delinquentes coercendos &c. Hinc igitur optimè aduersus vltimam partem huius argumenti à *Suarez* allati concludere licet, Summum Pontificem, qui spiritualis omnium fidelium Pastor est, habere quidem potestatem ad coercendas oues iuxta modum, qui conueniens & expediens erit ouibus, sed determinatum, & limitatum iuxta naturam, & conditionem spiritualis Reipublicæ, seu gregis, cuius spiritualis tantùm, & non temporalis Pastor à Christo Domino constitutus est. *Neque enim Episcopis*, vt ait S. Chrysostomus, *tanta à legibus data est potestas, quanta exteris Iudicibus, ad peccatores coercendos.*

SEC. 3.

In qua Argumentum Suarez *ex illis verbis Matth:* 16. Quodcunque ſolueris *&c. petitum fusè examinatur.*

1. SEcundum teſtimonium, quod *Suarez* ex ſacris literis affert ad probandum, eſſe in Summo Pontifice poteſtatem Principes deponendi, atque de dominijs, & vitis ipſorum diſponendi, eſt ille locus *Matth:* 16. toties inculcatus, *Et quodcunq; ligaueris ſuper terram* &c. *Nam verba illa*, ait Suarez, *generalia & indifferentia ſunt. Quod ſi quis dixerit, Matth:* 18. *fuiſſe declarata, & determinata, ad ligamen Cenſuræ: Reſpondemus, declaratū ibi eſſe, in illa generali poteſtate ligandi includi excommunicationis vinculum, non tamen ad illam ſolam pœnam imponendam poteſtatem illam limitari: tum quia, nulla talis limitatio ex illo contextu colligitur, tum etiam quia, licet ibi ſolius excommunicationis facta ſit mentio, nihilominus*

aliæ Censuræ sub illam potestatẽ cadunt, vt Interdictum, Suspensio, & aliæ item Ecclesiasticæ pœnæ. Immo etiam vinculũ præcepti, & legis sub illa potestate includitur, & ex vi talium verborum potestas illa vt directiua est, non determinatur ad hunc modum directionis per personale præceptum, vel per stabilem legem hoc vel illo modo obligantem, sed omnem conuenientem directionem indefinitè complectitur. Idem ergo est de coactione. Et ita ex illo loco colligit hanc potestatem Innocentius tertius cum Concilio Lugdunensi *in cap.* ad Apostolicæ *de sent. & re iudicata* in 6. Hæc Suarez.

2 Sed huic obiectioni iam antea tum in hac nostra de Iuramento *disputatione* [a], tum in mea *Apologia* [b] abundè satisfeci; prædictam nempe Christi Domini promissionem *S. Petro* factam intelligendam tantùm esse de spiritualis vinculi, quo fideles per Excommunicationem, Interdictũ, Suspensionem, aut Sacramenti absolutionis denegationem constringuntur, ligatione, & solutione, ad quas satis commodè limitatur, tum ex natura, & conditione ipsiusmet Ecclesiæ, cui Petrus

a *Cap. 6. sec. 1. num. 4. & sec. 2. num. 3. & seq.*
b *Num. 35. & seq.*

trus præficitur, quæ à Christo domino non temporalis, sed spiritualis Respublica instituta est, tum ex præcedentibus verbis, *Tibi dabo claues*, non vtique regni terrestris, sed claues *regni cælorum*. Et ipsemet *Suarez* ex illis verbis, *erit ligatum & in cælis*, alibi [c] colligit, *ligamen illud esse spirituale, & superioris ordinis*. Ad illud, *Quodcunq; solueris. Respondeo*, ait Ioannes Parisiensis secundum Chrysostomum, & Rabanum, *per hoc non intelligitur aliqua potestas data nisi spiritualis, absoluendi scilicet à vinculo peccatorum. Stultum autem esset intelligere, quod per hoc datur potestas absoluendi à vinculo debitorum.*

c Tom. 5. Disp. 1. sec. 2. nu. 3.

3. Ad illud alterum, quod *Suarez* vrget, nimirum, *potestas Ecclesiastica, vt directiua est, non determinatur ad hunc modum directionis per personale præceptum, vel per stabilem legem hoc vel illo modo obligantem, sed omnem conuenientem directionem indefinitè complectitur, Idē ergo est de coactione. Respondetur* primo, quòd, sicut potestas Ecclesiastica vt est derectiua, seu præceptiua, non ita limitatur ad aliquem modum præcipiendi, quin eius obli-

gatio, vel per modum ſimplicis, & quaſi perſonalis præcepti cum morte ipſius præcipientis deſinere queat, vel per modum ſtabilis legis vlteriùs etiam permanere poſſit, ita poteſtas Eccleſiaſtica, vt eſt coactiua, ſeu punitiua, non ita limitatur ad hunc, vel illum puniendi modum, quin pæna à poteſtate Eccleſiaſtica impoſita, vel per modum punitionis quaſi perſonalis cum morte perſonæ pænam ſtatuentis deſinere queat, vel per modum ſtabilis legis vlteriùs etiam durare poſſit. Conſtat enim, ſummum *Pontificem*, vt quotidiana experientia docet, poſſe Eccleſiaſticam inferre Cenſuram, cuius obligatio tam quoad vim coactiuam, quàm directiuam, vel cum perſona Pontificis morientis deſinet, vel per modũ ſtabilis legis poſt mortẽ etiam ipſius permanebit. Atq; in hoc ſenſu comparatio iſta poteſtatis directiuæ, & coercitiuæ ſatis accõmodata eſt.

4 *Secundò*, ſi prædicta *Suarez* propoſitio ita intelligatur, quòd ſicut ſpiritualis, ſeu eccleſiaſtica poteſtas præcipiendi non limitatur ad aliquem

determinatū præcipiendi modū, dūmodo naturæ & conditioni ſpiritualis Reipublicæ conveniens ſit, ita etiam poteſtas ſpiritualis puniendi non limitatur ad aliquem determinatum puniendi modum, dummodo naturæ & conditioni ſpiritualis Reipublicæ conſentaneus ſit, comparationem etiam illam inter poteſtatem directiuam, & coactiuā ſatis idoneam eſſe libenter concedimus. Sed hoc poſito, aſſerimus, quod ſicut ſpiritualis punitio, ſpirituali tantùm, & non temporali Reipublicæ aptè conuenit, ita temporalis punitio temporali tantùm, & non ſpirituali Reipublicæ, prout Chriſtus eam inſtituit, accommodata eſt, vt ex pleriſque Doctoribus Catholicis paulò ſuperiùs commonſtrauimus.

5. Quapropter, inter poteſtatem præcipiendi, & coercendi, ſeu puniendi magnum diſcrimen reperiri nimis manifeſtum eſt. Nam poteſtas Eccleſiaſtica præcipiendi eſt quodammodo illimitata, & ad res oēs, tū ſpirituales, tum etiam tēporales, non quatenus temporales, ſed quatenus ratio-

ne virtutis, aut vitij, quæ in ipsis continentur, spirituales euadunt, extendi potest. Ratio est: quoniam obiectũ Ecclesiasticæ potestatis præcipiendi est virtus & vitium, quæ in rebus omnibus tam temporalibus, quàm spiritualibus reperiri possunt. Atque ita potestas Ecclesiastica prohibens rem temporalem, vt peccatum est, nihil præstat, quod naturam, & conditionem spiritualis Reipublicæ dedeceat: sed priuatio temporalium bonorum, libertatis, aut vitæ, sunt semper pœnæ temporales, ob quodcunq; crimem, siue temporale, siue spirituale imponantur, quæ propterea, vt modò diximus, spiritualis Reipublicæ naturæ, & conditioni non satis consentaneæ censendæ sunt.

6. Atque hoc discrimen inter potestatem præcipiendi, & puniendi satis perspicuè in Republica ciuili cerni potest. Hæc enim, cum pro obiecto suæ potestatis directiuæ, seu præceptiuæ habeat externam ciuium quietem, & pacis publicæ perturbationem, potest crimina etiam spiritualia, quatenus verè, & non fictè pacem publicam

iniuſtè perturbant, & Reipublicæ ciuili manifeſtam iniuriam inferunt, prohibere. Nam tametſi huiuſmodi crimina per ſe, principaliter, & ex genere ſuo ſint ſpiritualia, & ea ratione ſpirituali tantùm poteſtati directè ſubiecta, tamen per accidens, ſecundario, & ex circumſtantijs, quatenus pacem publicam iniuſtè perturbant, ſunt temporalia, atque ea ratione à Magiſtratu ciuili, non quidem pænis ſpiritualibus, ſed temporalibus caſtigari poſſunt, vt ſuperiùs [c] in hac diſputatione, ex vtroque *Dominico*, *Soto* & *Bannes*, viris ſanè doctiſſimis, & eiuſdem inſtituti, atque in eadem Academia Salmanticenſi primarijs quondam Theologiæ Profeſſoribus perſpicuè commonſtrauimus. Ex quibus conſtat, hunc argumentandi modum, quem *Suarez* à poteſtate directiua, ſeu præceptiua, transfert ad coactiuam, ſeu punitiuam, non eſſe approbandam, nam alioquin ſimili prorſus ratione concludere liceret, quòd ſicut poteſtas ciuilis præcipiendi non ita limitatur, quin aliquoties ad ſpiritualia crimina extendi poſſit, ita etiam

c *Cap. 7. ſec. 2. num. 17.*

potestas ciuilis puniendi non ita limitatur, quin ad pænas, & animaduersiones spirituales quandoque extendi queat.

d *In Apolog. num:* 251.

7. Ad illud denique, quòd *Suarez* in fine sui argumenti affirmat, nempè *Innocentium quartum cum Concilio Lugdunensi ex hoc sacræ scripturæ contextu collegisse potestatem Summi Pontificis Principes deponendi*, alibi[d] etiam respondimus, primò, depositionem illam *Frederici* Imperatoris, non quidem à Concilio, sed in Concilio, seu potius ab ipsomet *Innocentio*, Concilio præsente, sed non approbante, factam esse. Quod sanè ex titulo ipsius Bullæ, seu Decreti, in quo sententia illa Depositionis lata est, satis probabiliter deduximus. Ita enim *Innocentius* scribit, *Innocentius Episcopus Seruus seruorum Dei, Sacro præsente Concilio, Ad perpetuam rei memoriam &c.* Neq; in tota illa Bulla vlla fit mentio consensus Patrum, sed prope finem illius Pontifex ait, *se cum fratribus suis Cardinalibus maturam, & diligentem deliberationem habuisse de pluribus nefandis, & execrandis flagitijs Friderici*, sed de

conſenſu, & approbatione Concilij de deponendo *Friderico* ne verbum quidem. At ſi vniuerſi Patres depoſitionē Imperatoris approbaſſent, non eſt veriſimile, quin *Papa Innocentius*, vir proculdubio ſingulari prudentia præditus, vt ſententia ſua in *Imperatorem, virum vtiq; in Eccleſia ſtrenuiſſimū, & fidei propugnatorem*, ait *Cardinalis Cuſanus*[e] (ex qua propterea maximæ in Reipublica Chriſtianæ perturbationes prudentium omnium iudicio ſequuturæ eſſent, ſicut revera ſequutæ ſunt, vt poſtea videbimus) toti Chriſtiano orbi iuſtior appareret, talem Concilij approbationem exprimere voluiſſet, atque non tantùm dicere, *Sacro præſente Concilio*, quibus verbis vti potuiſſet, tametſi totū Concilium repugnaſſet, ſed etiam *Sacro approbante Concilio*, ſicut in alijs decretis Eccleſiaſticis, quæ in pleno Concilio fiunt, dici ſolet, cum præſertim protinus in ſequenti Decreto hac poſteriori loquendi formula, *Sacro approbante Concilio*, idem *Innocentius* vſus fuerit, quæ profectò loquendi diuerſitas manifeſtam inter hæc duo decreta, quod

e *Lib. 3. Concord. cap. 41.*

ad *Concilij* approbationem attinet, disparitatem ostendit. Neque *Suarez* vllo argumento efficaci (nam plausibiles, quæ ab illo afferri possunt, coniecturas, cum ad *rem fidei demõstrandã* parum valeant, nihil moror) comprobare potest, hanc, quam adduxi, Responsionem rationi dissentaneam esse. Aliam insuper, non contemnendam addidi coniecturã, illam nempe depriuationis sententiam, *non sine omnium audientium, & circumstantium stupore fulminatum esse*, sed non erat, quòd vniuersi Patres audita depriuationis sententia tanto stupore afficerentur, si priùs dictæ depriuationi assensum suum præbuissent. Neq; obstat, quod *Prælati assidentes Concilio candelis accensis*, vt refert Mathæus Parisiensis, *in Imperatorem Fridericum fulgurarunt*. Ista enim candelarum accensio non ad depositionis sententiam, quam *Papa Innocentius* pręsente tantùm Concilo fulminauit, sed ad solennem quandam Excommunicationis, seu Anathematis, cui *Innocentius* depositionem in eadem Bulla annexuit, & in quod Anathema Patres

illi fortaſſe conſenſerunt; cærimoniam ſolummodo pertimebat.

8 *Tertiò*, tametſi ipſimet *Suarez* concederemus, non ſolùm Pontificē, verùm ipſum etiam Concilium longe probabilius eſſe exiſtimaſſe, poſſe Reges & Principes ſupremos authoritate Eccleſiaſtica ſuis regnis priuari, illamque depoſitionis ſententiam in hoc principio fundatam eſſe, attamen quòd Patres illi doctrinam hanc de Principibus authoritate Papali deponendis *certam* atque *de fide tenendam* eſſe firmiter crediderint, ſicut *Suarez* hoc loco comprobare prætendit, neq; ab ipſo, neque ab alio quouis vllo ſolido argumento demonſtrari poteſt. Denique ſicut illud, *quodcunq; ligaueris* &c. Matth. 16. dictum eſt *S. Petro*, eiuſq; Succeſſoribus, ita illud *quæcunq; alligaueritis* Matth: 18. dictum eſt reliquis Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, atque ita cum verba iſta generalia & indifferentia ſint, vt ait *Suarez*, ex illis ſequitur, non ſolùm Romano Pontifici, qui *S. Petri* Succeſſor eſt, verùm etiam alijs Epiſcopis, qui Apoſtolis ſuccedunt, poteſtatē ex Chriſti

institutione competere, Principes supremos suis dominijs, vitaque priuandi, quòd vtrum conueniens sit asserere, necne, apud prudentem Lectorem iudicium esto. Certè eadem ratio, quæ ab *Almaino* affertur ad probandum, non esse verisimile, quòd Christus tam amplam, ac illimitatam Summo Pontifici contulerit potestatem, potiori ratione cæteris Episcopis accommodari potest, *quia esset occasio* inquit ille, [f] *quod ratione talis potestatis Papa efferetur in maximam superbiam, & illa plenitudo potestatis esset multum damnosa subiectis, ideo illa etiam esset nociua Papæ & subiectis & sic non est verisimile, quòd Christus ei talem contulerit potestatem.*

f *de potestate Eccles. & Laica. q. 1. cap. 9.*

SEC. 4.

In qua argumentum Suarez *ex duobus factis Apoſtolorum* Petri *&* Pauli *deſumptum diſſolnitur.*

1. TErtiò, *Suarez* illimitatā hanc Summi Pontificis Principes ſupremos omni pœnarum genere, etiam ſupplicio mortis, afficiendi probat [a] duobus exemplis Sanctorum Apoſtolorum *Petri & Pauli.* Ait enim poteſtatem hanc adumbratam eſſe in facto *Petri, ad cuius increpationem Ananias, eiuſq; vxor mortui ſunt,* vt indicat Beda, & Author *libri de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. vltimo*, qui ait id factum eſſe, vt Apoſtolica auctoritas quanta eſſet oſtenderetur. *Clarius* Gregorius [b]. Cum Petrus *inquit* Ananiæ & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excreuiſſet oſtendit, verbo namq; eorum vitam perculit, quam ſpiritu

a *Num:* 12.

b *Lib.* 1. *epiſt.* 24.

scrutante deprehendit,& summum se in Ecclesia contra peccata recoluit. *Itaque licet factum extraordinarium fuerit, & speciali Spiritus Sancti instinctu, ac virtute factum, nihilominus, vt infra ait* Gregorius, zelus vltionis vim aperuit potestatis.

2 *Et eandē ostendit Paulus* 1.*Cor*.5. *quando fornicarium illum non solùm excommunicauit, sed etiam tradidit Sathanæ* in interitum carnis vt spiritus salvus sit in die Domini. *Quod enim* ait (in interitum carnis) *clarè indicat, præter spiritualem Censuram, etiam per corporalem vexationem fuisse punitum, & ad pœnitentiam agendam coactum, vt spiritus eius saluus fieret. Sicq; exponunt locum illum* Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Pacianus & Ambrosius. *Qui modus vexationis singularem virtutem quasi exequutiuam, vel Dæmonis imperatiuam requirebat, quæ communiter alijs non datur, sed nihilominus supponit Iurisdictionem ad cogendum non sola excommunicatione, sed etiam modis alijs. Igitur iuxta hanc Patrum expositionem ex illo loco habemus, Ecclesiasticam correctionem, &*

vindictam, non in sola spirituali, sed etiam interdum in corporis afflictione versari. Ac proinde pastores Ecclesiæ temporali punitione in ordine ad spirituale bonum vti posse.

3 Ad hanc obiectionem *Respondetur*, peculiaria illa Sanctorum *Petri* & *Pauli* facta ad extraordinariam patrandi miracula potestatem ipsismet Apostolis concessam, & non eorum Successoribus necessariò communicandam referenda esse, & proinde ad ordinariam Summi Pontificis Principes occidendi, aut deponendi potestatem confirmandam haud rectè accommodari posse. Atque ita Sancti Patres [c] affirmant, Apostolos in primordio nascentis Ecclesiæ perpetrandi miracula potestatem à Christo domino accepisse, vt Christiana fides, ac religio maiori veneratione coleretur, & Ethnici ad Christi fidem amplectendã faciliùs pertraherentur. Quare non est bona hæc consequutio: Christus Dominus Apostolis *Petro* & *Paulo* extraordinariam Apostolicam castigandi peccatores pœna mortis, a-

[c] *S Augustini lib. 22. de ciuitate Dei, c. 8. Chrysost. epist. 1. ad Olympialem. Gregor. hom. 29. in Euang. & alij.*

ſijſque corporeis afflictionibus contulit poteſtatẽ, idque Sancti Patres affirmãt, ergo eorũ Succeſſores, poteſtate ordinaria tales pœnas capitales infligere poſſunt. Neq; *Suarez* hactenus ſolidè comprobauit, ſingularem illum peccatores interficiendi, aut tradendi Satanæ pœnis corporalibus affligendos modum, Apoſtolis ſingulari priuilegio à Chriſto conceſſum, ſupponere ex Sanctorum Patrum ſententia, eos iuriſdictionem habuiſſe (ſi de ordinaria Iuriſdictione ſermo ſit) ad cogendum alijs pœnis, quàm Excommunicatione, cæteriſque ſpiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis Cenſuris, quibus Chriſtus in primitiua Eccleſia pœnas, & afflictiones corporales ſingulari miraculo ob cauſam prædictam annexuit. Et propterea ex hoc loco non rectè iuxta Sanctorum Patrum ſententiam colligit *Suarez* Eccleſiaſticam correctionem, & vindictam (de ordinaria loquendo) non in ſola ſpirituali, ſed etiam interdum in corporis afflictione verſari, ac proinde paſtores Eccleſiæ per poteſtatem ordi-

 nariam

nariam tẽporali punitione in ordine ad ſpirituale bonum per modum coercitionis vti poſſe.

SEC. 5.

In qua ſecundum Principale Suarez *argumentum ex* Eccleſiæ praxi *depromptum diluitur.*

1. S*Ecundum Caput*, ex quo *Suarez* argumentũ ducit ad hanc doctrinam pro poteſtate Papali Principes deponendi certò cõprobandã, *eſt authoritas*, ait ille, *& praxis Eccleſiæ*: quam praxim vt faciliùs oſtendat, omnia fermè illa Summorum Pontificum facta, atque exempla à *Card. Bellarmino* alibi adducta, quæque ego in mea *Apologia* retuli, & confutaui, in medium producit, & tandem ita concludit. [a] *At verò hæc omnia, & ſimilia non temerè, nec in angulo, ſed aliqua ex illis in Concilijs frequentiſſimis, & aliquando in Generali, vt in Lugdu-* a Num: 16.

nensi acta sunt, & in conspectu totius orbis Christiani, à quo approbata & executioni mandata fuerint, ergo incredibile est, fuisse actus vsurpatæ, & non veræ potestatis. Accedit Concilium Lateranense sub Innocentio tertio cap. 3. *eandem potestatem supponere docens*, Si Dominus &c. *Ex quibus omnibus tale argumentum concluditur: vniuersalis Ecclesia non potest errare in his, quæ ad fidem & mores pertinent, sed vniuersalis Ecclesia consensit in huiusmodi factis, & illa probauit tanquam consentanea diuino & naturali iuri, & similiter approbat leges Canonicas imponentes huiusmodi pœnas Principibus temporalibus propter grauissima scelera, & contumaciam in illis, maximèq; in hæresi; ergo tam certũ est, posse Pontificem coercere, vel punire Principes temporales his pœnarum generibus, quàm est certũ, non posse ecclesiam in fide & moribus errare.* Ita arguit *Suarez.*

2 Ad hanc obiectionem alibi [b] ita
" respondimus, nullo ex prædictis
" exemplis cõmonstrari illud, in quo
" tota controuersia consistit, nempe
" Summum Pontificem vllam pror-

" sus habere auctoritatem ex Christi
" institutione de rebus temporalibus
" omnium Christianorũ disponendi,
" ac Principes temporales Principa-
" tibus priuandi, sed ad summum
" ostendunt, Pontifices quidem de
" facto talem exercuisse potestatem,
" veruntamen quòd de iure id fece-
" rint, nullum planè ex illis exemplis
" sufficienter convincit. Ad hæc igi-
" tur, & similia exempla eadem plane
" Responsio adhiberi potest, qua ipse
" *Card. Bellarminus* in re non dissimili
" vsus est, lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30.
" ad quartum argumentum, in quo
" obijciebatur, Christianos Impera-
" tores sæpè iudicasse Pontifices, eos-
" que deposuisse. *Respondeo*, inquit,
" *hæc facta sunt, sed quo iure ipsi viderint.*
" Et paulò infra, *Ab Othone primo*, in-
" quit, *satis constat bono zelo, sed non se-*
" *cundùm scientiam depositum esse Ioan-*
" *nem duodecimum: fuit enim iste Ioan-*
" *nes omnium Pontificũ ferè deterrimus.*
" *Atque ideo non mirũ si pius Imperator,*
" *qualis fuit Otho primus, sed minus pe-*
" *ritus rerum Ecclesiasticarum, iudica-*
" *uerit eum potuisse deponi, præsertim*

" *cum multi Doctores idem senserint.*

3 Simili prorsus ratione respon- " deri poterit, nonnullos Pontifices " priuasse Principes suis dominijs, " Imperia transtulisse, & de rebus " temporalibus Christianorum dispo- " suisse, sed quo iure ipsi viderint. " *Neque enim oportet ex talibus factis* " *singularibus*, (ait Ioannes Parisiensis) " c *qua interdum ex deuotione ad Eccle-* " *siam, vel ex causa alia; & non ex debito* " *iuris fiunt, argumenta sumere.* Et " Gregorius Tholosanus. *Illud* in- " quit d *tantùm ex his colligo, difficilem* " *esse questionem, num Summi Pontifices* " *deponere Imperatorem vel Regem pos-* " *sint, qui olim habuerit instituendi Sum-* " *mum Pontificem potestatem.* Quin " *& inveniuntur plures destitutiones, &* " *depositiones factæ ab Imperatore Sum-* " *morum Pontificum, non secus quàm de-* " *stitutiones factæ Imperatorum à Sum-* " *mo Pontifice, vt vicissitudo in his ma-* " *xima inveniatur. vnde disputare de* " *facto, & de exemplis depositionum per-* " *peram est.* Et paulò infra. *Ex qui-* " *bus omnibus*, inquit, *innovatores am-* " *bitiosi Rerumpublicarum & vsurpa-*

c *De potestate Regia & Papali cap: 15 ad 5.m*

d *Lib. 26. de Repub: cap. 5. num: 11.*

"*tores Regnorum, rebellesq; Principi-*
"*bus legitimis colligere possunt. primùm,*
"*non ideo omnem depositionem Principũ*
"*iustam esse, quòd reipsa facta sit, nam*
"*non omnia facta iusta sunt, dehinc non*
"*ideo consequentiam fieri debere, quod*
"*eius exemplo simile tentandum sit. A-*
"*liud enim est* ait Card. Bellarminus
"e *facta Regum*, addo ego Pontificũ, e in Respons. ad Apolog. pro Iuramento, pag. 157. Colon: 1610.
"*referre, aliud authoritatem, potesta-*
"*temq; probare.*

4 Quapropter concedimus, prędicta omnia, & similia Summorum Pontificum facta, quæ *Suarez* hîc recenset, non temerè, nec in angulo, sed in conspectu totius orbis Christiani acta esse, & propterea incredibile esse, quin Summi illi Pontifices existimauerint, fuisse actus veræ, & non vsurpatæ authoritatis. veruntamen quòd depositiones illæ, tametsi nec temerè, nec in angulo, sed in conspectu totius orbis Christiani factæ fuerint, à vera & legitima potestate, quæ non solùm in opinione, sed re etiam vera legitima erat, processerint, nullum penitus ex illis exemplis efficaciter demonstrat. Illud autem, quòd *Suarez* affir-

mat, facta illa *à toto orbe Christiano approbata, & exequutioni mandata fuisse,* à veritate prorsus alienum est. Si enim historias præcedentium temporum, ab *Henrico quarto* Imperatore, qui primus erat omnium Imperatorũ per Papam depositus, ad *Henricum* etiam quartum, Regem Christianissimum, qui vltimus erat Regũ omnium per Papam regnandi iure priuatus, percurrere quis velit, facilè perspiciet, talia facta à pluribus Catholicis improbata fuisse. *Si Regum & Imperatorum depositiones, ac Imperij translationes, & cætera fortè,* ait Card. Cusanus [f] *ad hoc præsumendum Apostolicũ mouerent, sciat, nisi fortè religioni, & humilitati obstaret, omnibus illis verè, & clarissimè responderi posse, & taliter quòd fortè hæc minimè tantam potestatem absq; partium contendentium aut consensu, aut acceptatione in Papa, vt Papa, arguerent. Non defuerunt antiqui, qui Henricum quartũ Basiliæ coronatum per Romanorum Legatos ab excommunicatione Gregorij, seu Hildebrandi,* (quæ videlicet annexam habuit depositionẽ) *defendebant, etiam Apostolicæ Sedis Cardinales protunc, &*

f *Lib.* 1. *de Concord. Cathol. cap.* 41.

quoddam Concilium Romæ pro tunc celebratum. Sic de Friderico secundo, viro vtiq; in Ecclesia strenuissimo, ac fidei propugnatore scripta defensoria, & fortia inveniuntur, ac etiam de alijs Imperatoribus acquieuit sæpè Pontificibus populus ob obedientiæ bonum.

5 Et præter plurima illa Catholicorũ Doctorum testimonia in mea *Apologia* relata, quorum aliqua in hac de Iuramento *Disputatione*, & paulò etiam supra in ista *Appendice* recensui, qui docent, penes Summum Pontificem non esse ex Christi institutione potestatem de rebus temporalibus Principũ disponendi, & pœnas temporales coercitiuè infligendi, si illa *Friderici* secundi depositio per sententiã *Innocentij* tertij, præsente Concilio Lugdunensi, facta, à toto Christiano orbe approbata, & executioni mandata fuisset, non potuisset sanè vnus *Fridericus* aduersùs totius orbis Christiani potentiam armata manu Summum *Pontificem Innocentium*, populosque illi subiectos in tam magnas angustias redigere. *Intrauit Fridericus* ait Trithemius [g], *post depositionẽ sui in Italiam,*

[g] *in Chronico Monast. Hirsaug. ad annum* 1244.

Italiam, & tantis malis Papam, subiectosque illi populos afflixit, vt Pontificem viuere taederet, voluisset q́ se nunquam depositionem illius cogitauisse. Refert
h Lib.6.c.36. etiam *Otho Frisingensis*[h], quantis incommodis, & calamitatibus *Henricus* quartus, à *Gregorio* septimo depositus, ipsum, totumque Romanum populum affecerit, & quòd ipsũ *Gregorium* in exilio vitam finire compulerit.

6 Quod attinet ad depositionem *Philippi* pulchri Christianissimi Francorum Regis per *Bonifacium* octauum factam, cuius exemplum *Suarez* hic etiam recenset, satis constat ex Francorum annalibus, eam non solùm à Francis minimè approbatam, neque executioni mandatam esse, verùm etiam ipsum *Bonifacium* ea de causa à multis Scriptoribus reprehensũ, atque à *Philippi* militibus malè tractatum in carcere vitam miserè finire coactum
i Lib.7.histor. Philippo libro. esse. *Talem* ait Guagninus[i] *vitæ exitũ habuit contemptor omnium hominũ Bonifacius, qui Christi præceptorum minimè recordatus, adimere & conferre Regna pro suo arbitrio conabatur, cum non ignoraret, cuius se loco versari in terris, cuius*

regnum non de hoc mundo, & terrenis rebus, sed de cœlestibus esset, quiq; dolo, & malis artibus Episcopatum Romanum sibi quæsiuerat, & Celestinum à quo dignitatem receperat, in carcere, dum vixit habuerat. Idem prorsus quod ad rem ipsam attinet, *Platina*[k], homo Italus, & alij Historici disertis verbis confirmant. vnde miror qua fronte audeat *Suarez* vir alioqui doctissimus, contra omnium historiarum fidem tam confidenter asserere, prædicta, & similia Summorum Pontificum facta, ex quibus tot strages in Republica Christiana ortæ sunt, à toto orbe Christiano, & vniuersali Ecclesia approbata, & executioni mandata esse. Verum quidem est, solere Pontifices sæpenumero, ne dicam semper, quando supremum aliquem Principem deponunt, eum etiam spirituali anathematis gladio ferire, & Principis depositionem cum excommunicatione ipsius coniungere, atque ita posse primum, id est, *Principis excommunicationem*, à toto Christiano orbe approbari, absque eo quod secundum, id est, *eius depositio* approbetur, vnde alibi [l] contra

k *In vitis Celestini quinti & Bonifacij octaui*

l *In p Resp. num. 31*

Cardinalem Bellarminum obseruaui, excommunicationem *Henrici* quarti Imperatoris à pluribus Concilijs prouincialibus Romæ celebratis approbatam esse, quæ nihilominus nullam planè de eius depositione mentionē faciunt.

7 Ad illud *Concilij Lateranensis* decretum, quod *Suarez* hic etiam nude cómemorat, plures Responsiones alibi [m] adduximus, & illud breui, Deo volente, aduersùs libellum *Leonardi Lessij* sub Doctoris *Singleton* nomine personatum, in quo artificiosè magis quàm solidè decretum illud discutit, accuratiùs examinabimus. Et certè si illud *Concilij Lateranensis* sub *Innocentio* tertio celebrati decretū tam efficax pro hac potestate Summi Pontificis confirmanda argumentum præteritis temporibus à Doctoribus Catholicis habitum fuisset, sicut quidam hisce diebus prætendunt, qui illud duntaxat decretum ad doctrinā hanc, vt rem *de fide certam*, perspicuè demonstrandam sufficere opinantur, non est credibile, tam illustre testimonium, quod ex istorū sententia instar

m *In præfat. ad respons. Apologet. num. 43. & seq.*

omnium aliorum est, singularem doctissimi *Bellarmini* vigilantiam (qui in suis Controuersijs plura leuioris momenti Summorum Pontificum facta, exempla, atque decreta ad hanc doctrinam corroborandam mira solicitudine congerit, illamque depositionis sententiam ab eodem *Innocentio* tertio aduersùs *Othonem* quartum Imperatorem latam nominatim memorat,) effugere potuisse.

8 Atque hinc facilè constat Responsio ad argumentum, quod *Suarez* vltimo loco ex his Summorum Pontificum factis concludit. Nam, prçterquam quod ad maiorem propositionem meliùs intelligendam, meminisse oporteat illius distinctionis, quã alibi sæpe adhibuimus, de Ecclesia rem aliquam probabiliter tantùm opinante, & de eadem firmiter credente, minor eius propositio perspicuè falsa est. Quoniam enim Summus Pontifex, tametsi præcipuum Ecclesiæ Catholicæ, seu vniuersalis membrum sit, non tamen ipse Ecclesiam vniuersalem constituit, inter facta & praxim *Ecclesiæ vniuersalis*, & inter facta &

praxim *Summorum Pontificum* ingens discrimen constituendum est, neque plurimorum Pontificum Romanorũ praxis, totius Ecclesiæ praxis æstimanda est, nisi a tota Ecclesia approbata fuerit Constat autem, neque doctrinam istam de potestate Papali Principes deponendi, neque praxim illius à tota Ecclesia approbatã fuisse, aut contrariam opinionem vt hæreticam, aut erroneam reputatam, cum *de hac re certent Scholastici, & adhuc sub Iudice lis sit, An Papa possit Imperatorem deponere.* Et plærique etiam Doctores, vt ex *Almaino* & *Gersone* retulimus, existiment, potestatem Ecclesiasticam ex Christi institutione nullam temporalem habere Iurisdictionem sibi annexam, ita vt nec pœnas temporales infligere, nec incarcerare quenquam possit, sed hanc authoritatem pœnas temporales irrogandi ex Principum concessione illi competere. Et propterea argumentũ istud, quod *Suarez* ex Ecclesiæ praxi desumptum esse ait, cum eiusmodi praxis nunquam ab Ecclesia approbata, aut executioni mandata fuerit,

quicquid ipſe parùm conſideratè aſſeueret, perexigui ſanè momenti eſt, & plus valet ad terrorem ſcrupuloſis mentibus incutiendum, quàm ad virorum prudentium, ac peritorum, & qui iuxta Chriſti Domini præceptum DEO & CAESARI quæ ſua ſunt, reddere deſiderant, conſcientijs ſatisfaciendum. Illud denique, quod *Suarez* in fine huius argumenti affirmat, *Eccleſiam vniuerſalem approbare leges canonicas imponentes huiuſmodi pœnas Principibus temporalibus propter grauiſſima ſcelera & contumaciam in illis, maximè in hæreſi,* ſi de *ſupremis Principibus,* & de pœnis *coercitiuè* imponendis intelligat, veritati conſonum non eſt, vt ex Reſponſionibus, quas ad tres illos Canones, *Nos Sanctorum, Iuratos,* & *Abſolutos* communiter citatos, quique à *Suarez* inferiùs ad idem comprobandum allatæ ſunt; in mea *Diſputatione* adduxi, [n] perſpicuè deduci poteſt.

n *Cap. 6. ſec. 3. num. 12.*

SEC. 6.

In qua argumentum Suarez *ex ratione, nempe ex titulo iustæ punitionis, & defensionis ductum syncerè proponitur.*

1. TErtiò, *Suarez* hanc illimitatam Summi Pontificis Principes castigandi potestatem ratione confirmat. Atque hæc sui argumenti summa, & substantia est. *Christus* Dominus dedit *S. Petro*, quem Supremum Ecclesiæ Pastorem constituit, omnem illam authoritatem, quæ ad gregem Domini pascendum, ac gubernandum necessaria est, sed potestas Principes deponendi, & pœnas temporales *coercitiuè* infligendi ad Ecclesiam gubernandā necessaria est, ergo *Christus* S. *Petro*, & proinde eius Successoribus talem potestatē concessit. *Maior propositio* à *Suarez* disertis verbis non ponitur, sed supponitur, nam ipse *minorem* duntaxat confirmat, atq;

 duos

duos titulos, seu causas, ob quas prædicta potestas necessaria censenda est, his verbis declarat.

2 *Tertio,* inquit, [a] *declaratur ratione hæc veritas. Nam duplici titulo erat necessaria hæc potestas in supremo capite, & pastore Ecclesiæ, scilicet & propter ipsos Imperatores seu Reges, ac quosvis temporales Principes, & propter populos illis subiectos. Priori titulo necessaria est hæc potestas, vt possit Pontifex vel rebellem Principem corrigere & emendare, vel etiam dignè punire. vtrumq; enim ad Pastorẽ pertinet: Sæpe autem contingit, vt sola Censura ad illos effectus non sufficiant, vt diuturna experientia satis ostendit, ergo necessario dicendum est, Christũ Vicario suo hanc potestatem contulisse, cum non minus illum constituerit Pastorẽ Christianorum Principum, quàm cæteræ Christianæ plebis. Quocirca, quod ad priorem titulũ attinet, quando vel solùm, vel principaliter agitur de emendatione Principis, qui peccauit, solent maximè Pontifices Censura vti, quia illa est propria medicinalis pœna, de qua locutus est Christus Matth: 18. Quod si contingat Principem per Censuram corrigi, &*

a Num: 17.

emendari, non solet Ecclesia ad rigorosam vindictam per graues, & publicas pœnas contra eos procedere: potest tamen, & solet pœnas aliquas iniungere, tum ad resartienda damna, si quæ fortè ab eis illata fuerunt, tum etiam vt tam Deo quàm vniuersæ Ecclesiæ aliquam satisfactionem tribuant. Nam resarcire damna, & illatas iniurias recompensare non tam est pœna, quàm restitutio quedam, & debiti solutio, quamvis coactio ad illam faciendam potestatem superiorem requirat. Præter hanc vero recompensationem ex iustitia commutatiua debitam, ratio communis boni, & iustitiæ legalis postulat, vt aliqua pœna in vindictam delicti ad Ecclesiæ satisfactionem, & aliorum exemplum, & timorem adhibeatur. Quando vero non obstante Censura Rex contumax est, & incorrigibilis in delicto, tunc grauiores pœnæ adhiberi debent, & huiusmodi fere sunt omnes casus suprà enumerati, vt notauit S. Thomas 3. lib. de Regimine Principum cap. 10.

b Num. 18. 3 Et confirmari potest hæc [b] ratio, quia circa alios fideles seu Christianos baptizatos habet Ecclesia potestatem non solùm ad coercendum illos per Censuras

ad emendationem delicti, sed etiam ad vindicanda delicta commissa per alias pœnas temporales, vel corporales, secundùm modum accommodatum Ecclesiastico Iudici, & Pastori, ergo eandem potestatem habent legitimi Ecclesiæ Prælati, & maximè Summus Pontifex in Principes temporales etiam supremos. Assumptum ex perpetuo vsu Ecclesiæ manifestum est. Solent enim Canones imponere pecuniarias pœnas interdum vsq; ad bonorum confiscationem. Interdum etiam imponunt pœnas corporales citra vitæ, aut membrorum periculum, vt est flagellationis pœna, interdum etiam vsq; ad damnationem ad triremes; & quando necessaria est pœna sanguinis, licet Ecclesiastici Iudices illam ferre non soleant propter status decentiam, possunt reum committere Iudici seculari, ei præcipiendo, vt secundum Legum æquitatem illum puniat. Quæ omnia maximè possunt in crimine Hæresis considerari; Hæretici enim non solùm ab Ecclesia excommunicantur, & alijs spiritualibus afficiuntur pœnis, sed etiam bonis omnibus temporalibus priuantur, non solùm per leges Imperatorum, sed etiam virtute canonum. Ac denique

si vel contumax fuerit, vel relapsus, per leges Imperatorum capite punitur, per Canones autem Secularis Iudicis arbitrio relinquitur, recepturus pro qualitate criminis vltionem iuxta cap. Ad abolendā de Hæreticis *cum similibus.*

c Num: 19. 4 *Has autem pœnas* [c] *esse iustissimas Ecclesiæ vsus satis convincit, & defendit optimè* Augustinus epist. 48. & 50. & lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 2. *Esse autē necessariam in Ecclesia Christi, vt ab illo est instituta, hanc potestatem ratio convincit: quia si Ecclesiæ subditi non possent per huiusmodi pœnas coerceri, facilè spirituales Censuras contemnerent, & plurimùm sibi, ac alijs nocerent. Nam vt dicitur Prouerb. 29.* Puer qui relinquitur voluntati suæ confundit Matrem suam, *vnde non esset Respublica Christiana convenienter instituta, nec illi esset sufficienter provisum, si non haberet potestatem cogendi rebelles, qui Censuris obtemperare nollent. Nec satisfaciet qui dixerit, satis esse, quod in Christianis Principibus temporalibus sit hæc potestas, tum quia ipsi etiam Principes possunt delinquere, & correctione indigere, vt sic dicam. Tum etiam quia vindicta male-*

Pars 1. *factorum*

factorum per se solùm pertinet ad Ciuiles Magistratus, quatenus politico fini, & paci Reipublicæ, & iusticiæ humanæ contraria sunt, coercere autem illa, vt sunt religioni, & saluti animæ contraria, per se spectat ad spiritualem potestatem, & ideo ad illam maximè pertinere debuit facultas vtendi temporalibus pœnis ad talem correctionem, vel per se illas inferendo, vel temporalis brachij ministerio vtendo, vt omnia decenter, ordinatè, & efficaciter fiant.

5 *Superest,* [d] *vt priorem illationem probemus, nimirum si in cæteros fideles inferioris ordinis potestatem istam habet Ecclesia, etiam in supremos temporales Principes, in Petro maximè, & Successoribus eius eam accepisse. Probatur ergo consecutio ex principio suprà posito, quòd hi Principes tam sunt oues Petri, quàm reliqui omnes, neque temporalis dignitas, vel potentia eos reddit immunes, seu à tali potestate, vel pœna exemptos, quia neque ex Christi verbis, neque ex aliquo alio principio, vel ratione colligi potest talis libertas, seu potiùs peccandi licentia, quin potius multò magis necessaria est in Ecclesia potestas hæc ad coercendos huius-* d *Num:* 20.

modi Principes, quam eorum subditos: Primò quidem, quia ipsi liberiores sunt, & ita facilius labuntur, & semel lapsi difficiliùs corriguntur. Deinde quia Principum peccata, præsertim contraria fidei, & religioni perniciosiora sunt, facilè enim subditos ad sui imitationem pertrahunt, vel exemplo, vel beneficijs, ac promissionibus, vel etiam minis, ac terroribus. Propter quod, meritò dixit sapiens Ecclesiastici cap. 10. Rex insipiens perdit populum suum. Nam qualis est Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. *Quod etiam ducti ratione & experientia Philosophi docuerunt : vt* Cicero *ex* Platone *lib.* 1. *Epistolarum.* Vnde idem Cicero lib. 3. de legibus, *rectè etiam dixit*, vitiosi Principes non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea etiam infundunt in ciuitatem. *Deniq; quia Principes grauiùs, quàm cæteri delinquunt, & ideo etiam per Pastores grauiùs puniri debent, vt de ipsismet Pastoribus dixit Gregorius* in pastorali part. 3. cap. 5. *& refertur à* Nicolao Papa *contra* Lotharium Regem Galliæ, *in epist. ad eundem, & refertur* in cap: præcipuè 11. q. 3.

6 *Atque hinc tandem* [e] *facilè ostendi potest alius titulus huius potestatis in Reges, nimirum propter defensionem subditorum. Nam ad pastorem non solùm spectat oues errantes corrigere, vel ad ouile revocare, sed etiam Lupos arcere, & ab hostibus defendere, ne extra ouile trahantur, & pereant: sed iniquus Rex, præsertim schismaticus, & hæreticus, subditos constituit in magno periculo perditionis, vt ex proximè dictis notum factum est, & ideo* Claudianus dixit, [e] *Num: 21.*

Regis ad exemplum totus componitur orbis
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Ergo ad Pontificis munus spectat subditos hæretici, vel perversi Principis defendere, & ab illo euidenti periculo liberare, ergo Christus, qui bene, & optimè omnia fecit, & instituit, hanc potestatē Petro contulit, eamq; sub verbo Pasce, *& sub potestate* ligandi & soluendi *comprehendit, ergo per illam potest, & talem Principem dominio suo priuare, & arcere, ne noceat subditis, & hos à Iuramento fidelitatis soluere, vel solutos declarare, quia illa conditio*

tio in tali Iuramento ſemper intelligitur incluſa.

f Num: 22. 7 *Qui titulus*[f] D. Thomæ *& probatis Theologis tam grauis, & efficax viſus eſt, vt per ſe ſolus ſufficiat ad priuandum Regem infidelẽ dominio, & poteſtate ſupra fideles, etiamſi prior ratio vindictæ & iuſtæ punitionis ceſſet. Nam iuxta* Pauli *doctrinam, de his quæ foris ſunt Eccleſia non iudicat, vnde colligunt ijdem Theologi, non poſſe Pontificem punire Regem Ethnicum non baptizatum propter infidelitatem, vel alia peccata: Et nihilominus ſi habeat ſubditos fideles, poteſt eos à ſubiectione illius eripere propter morale, & euidens euerſionis periculum, vt docet* D. Thomas 22. q. 10. art. 10. *& colligitur ex* Paulo 1. Cor: 6. *reprehendit enim fideles quod apud infideles Iudices litigarent, ſupponitq; poſſe Eccleſiam creare Iudices, qui inter infideles, etiam in temporalibus, iudicent, ne ad infideles ire cogantur, & ad hoc ſuadendum ait,* Neſcitis, quia & Angelos iudicabimus, quanto magis ſęcularia? *Quæ verba allegat* Gregorius lib. 7. epiſt. 21. *& ex illis infert,* cui ergo aperiendi clauden-

dique cœli data est potestas de terra iudicare non licet? Absit. *hinc etiam coniux fidelis separari potest à coniuge infideli, si cum illo non possit sine iniuria Creatoris habitare, iuxta doctrinā* Pauli 1. ad Cor: 7. *& ex eadem radice, filij baptizati à Patrum infidelium potestate, & consortio liberantur, ne illorum iterum involuantur erroribus, vt dicitur* in Concilio Toletano 4° cap. 59. *Ergo simili, vel maiori ratione priuatur Rex Christianus, seu subditus Ecclesiæ, ratione baptismi, potestate, & dominio in vasallos suos, ergo titulus est per se sufficiens, vt possit Pontifex in hos Principes animaduertere, eosq; regnis suis priuare, & ad hoc vti gladio aliorum Principum, vt ita gladius sit sub gladio, vt ad propugnandam & defendendam Ecclesiam mutuo iuventur.*

8 *Possem* g *hoc loco alios titulos explicare, confirmare, ac defendere, quibus potest Romanus Pontifex circa temporalia iustis de causis disponere, vt fecit in translatione Imperij, & in constituendo modo electionis Imperatoris, & in eius administratione cum vacat, & in alijs etiam casibus, in temporalibus causis ius dicendi: veruntamen nec huiusmodi operis bre-* g *Num: 23.*

uitas hæc omnia prosequi permittit, nec intentioni nostræ, ac instituto necessaria sunt, & ideo ad alios Authores, qui hæc eruditissimè disputarunt, Lectorem remitto.

9 Hæc sunt argumenta ex ratione petita, quæ *Suarez* ad illimitatam hanc Summi Pontificis potestatem Reges, ac Principes supremos suis dominijs priuandi, eosque quibuscunq; pænis temporalibus castigandi comprobandam affert, quibus tametsi ego iamdudum abundè satisfeci, vt tamen Lector, qui præsertim meam *Apologiam* aut non vidit, aut eam non perlegit, clarè perspiciat, nullum ferme argumentũ hîc à *Suarez* ad hanc suam doctrinam confirmandam de nouo adductum esse, sed veterana tantùm aliorum argumenta, quæ ego, & vterque *Barclaius* antea confutauimus, iam denuo, à *Suarez* nudè & absque vlla Responsionum nostrarum confutatione esse inculcata, singula eius argumenta ad verbum transcribenda, & Responsa, quæ illis iamdudum allata sunt, iterum repetenda esse duxi.

SEC. 7.

In qua prima argumenti pars, quam Suarez *ex titulo iustæ punitionis desumit, perspicuè dissoluitur.*

1. " INprimis igitur, ad Maiorem
" prædicti argumenti propo-
" sitionem respondetur, Sancto Petro
" eiusque Successoribus, eo ipso quòd
" supremi Ecclesiæ Pastores, & Gu-
" bernatores constituti sint, omnem
" illam potestatem, quæ ad gregem
" Domini regendum, & gubernandũ,
" atque ad perducendas animas in
" Paradisum (qui præcipuus est pote-
" statis Ecclesiasticæ finis) necessario
" requiritur, à Christo Domino con-
" cessam esse: Sed quoniam prędicta
" propositio est æquiuoca, & duobus
" potissimùm modis intelligi potest,
" neque adeo clarum est, quænam re-
" quirantur ad hoc, vt potestas aliqua
" dicatur esse sufficiens, & habere om-

"nia necessaria ad suum finem con-
"sequendum, si quis ex tali proposi-
"tione ita vniuersaliter accepta, neq;
"sufficienter explicata, aliquid mo-
"menti, vtpura dogma fidei stabilire
"contenderet, facilem errandi, viris
"præsertim in Theologia minus pe-
"ritis, occasionem præberet.

2 Vel enim primò intelligi potest,
"Pastores Ecclesiæ talem habere po-
"testatem sufficientē, & necessariam
"ad consequendum suum finem, qui
"est animarū salus, ita vt possit actu
"perducere quamlibet animam ad
"Paradisum, & tollere omnia obsta-
"cula, quæ salutem æternam impe-
"dire queunt. quem sensum habere
"possunt verba illa Card: *Bellarmini*,
"qui ait, *Summum Pontificem posse ef-*
"*ficere totum illud, quod necessarium est*
"*ad perducendas animas in Paradisum,*
"*& posse omnia impedimenta remouere,*
"*quæ mundus, aut dæmon cum omnibus*
"*suis viribus & astutijs apponere possunt.*
"Et hic sensus, tametsi ab eo, vt opi-
"nor, intentus non sit, est apertè fal-
"sus, & optimè impugnatur à * *Paulo*
"*Veneto*, tum quia Pontifex nullum

a *In Respons. ad tract. Gersonis de validit. excommuni: in vndecima consideratione.*

* *In sua Apologia Italica. pag. 57.*

" habet medium sufficiens ad sal-
" uandum Infantem existentem in
" vtero matris, quem viuum ipsa par-
" turire non potest (neque enim ape-
" rire licet ventrem Matris, vt infans
" baptizetur; aut ad saluandum eum,
" qui in peccato mortali existens fa-
" ctus est insanus, nisi iterum ad
" mentem redeat, quod tamen effi-
" cere non est in Pontificis potestate:
" tum quia super internos animi mo-
" tus, qui ad salutem maxime sunt
" necessarij, Papa nullam habet po-
" testatem; tum etiam, quia neque
" essent Turcę, neque infideles, neque
" Hęretici, nec mali etiam Christiani,
" absque graui Summi Pontificis cul-
" pa, si ipse haberet potestatem effi-
" ciendi totum illud, quod necessa-
" rium est ad perducendas animas in
" paradisum, & ea omnia remouendi,
" quæ salutem æternam impedire
" queunt.

3 Vel *secundo* intelligi potest, Pa-
" stores Ecclesiæ habere omnem po-
" testatem sufficientem, & necessa-
" riam ad gregem Domini pascendũ,
" & animas in Paradisum perducen-

" das, quantum est ex parte ipsius po-
" testatis, & non ex parte eorum om-
" nium, quæ quocunque modo ne-
" cessaria sunt, vt potestas sortiatur
" effectum, & actu animas in para-
" disum perducat. Sicut potestas,
" verbi gratia, illuminandi in Sole in-
" telligi potest sufficiens, vel respectu
" ipsius potentiæ illuminantis, vel re-
" spectu etiam eorum, quæ quocunq;
" modo ad illuminationem concur-
" runt, quæque si non adsunt, ipsam
" illuminationem impedient, qualia
" sunt approximatio debita, subiectũ
" capax, & bene dispositum. Et licet
" Sol non habeat sufficientem pote-
" testatem tollendi omnia, quæ illu-
" minationem impedire possunt, ita
" enim & posset sibi approximare
" corpus, & facere illud Diaphonum,
" quæ tamen non sunt in eius pote-
" state, nihilominus quis propterea
" negare potest, Solem habere pote-
" statem sibi sufficientem & perfectã
" illuminandi? Atque in hoc sensu
" maior illa propositio vera est. Nam
" Pastores Ecclesiæ, quos Christus
" spirituales, non temporales Pastores

 con-

" constituit, suamque Ecclesiam spiri-
" tualem, non temporalem Rempub:
" ordinauit, habent omnem spiritua-
" lem potestatem sufficientem, & ne-
" cessariam ad gregem Domini pas-
" cendum, & animas in Paradisum
" perducendas, quantum est ex parte
" ipsius potestatis, quæ nihilominus
" supponit subiectum aliàs aptum, &
" bene dispositum.

4 Habent enim potestatem sibi
" à Christo traditam conferendi gra-
" tiam spiritualem, qua ad Regnum
" cœlorũ pervenitur, infantibus qui-
" dem per Sacramentum Baptismi,
" adultis vero per alia etiam Sacra-
" menta, præsertim Pœnitentiæ, per
" quam Sacerdos, vt Christi minister,
" virtute clauium, quas à Christo ac-
" cepit, absoluit à peccatis, & gratiam
" confert; quæ tamen potestas, vt ex-
" eat in actum, supponit dispositiones
" quasdam necessarias ex parte subie-
" ctorum, tam in infantibus, quàm in
" adultis, quas ponere non est semper
" in potestate Ecclesiæ. Præter hanc
" potestatem, quam Theologi Ordi-
" nis appellant, est etiam in Ecclesiæ

" Prælatis potestas Iurisdictionis :
" Habent enim authoritatem prædi-
" candi verbum Dei, corripiendi pec-
" catores, condendi leges & transgres-
" sores pœnis Ecclesiasticis, seu spiri-
" tualibus coercendi. Sicut enim Ec-
" clesia, & potestas ecclesiastica est
" spiritualis, & finem habet spiritua-
" lem, ita quoque media ad talem fi-
" nem proportionata habere debet.

5 Concedimus itaque *Maiorem propositionem* in sensu explicato Quod ad *Minorem* attinet, si *Suarez* intelligat, Christum Dominum S. Petro, eiusque Successoribus talem sufficientem, & necessariam potestatem ad Ecclesiam suam regendam, & animas in Paradisum perducendas absolutè, & absque vlla limitatione concessisse, qualem ipse modo super exellenti habuit, virtute cuius poterat ipse modo quodam miraculoso peccatores conuertere, & ad cœleste regnum perducere, quamque aliqua ex parte Apostolis communicauit (veluti linguis varijs loquendi, miracula perpetrandi, facinorosos verbo oris, vt quibusdam placet, occidendi, & Malefactores

Sathanæ tradendi in interitum carnis, id eſt, corporali vexatione per Dæmonem affligendos, *vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini*; qua poteſtate, vt ijdem Doctores affirmant, *Petrus Ananiam*, & *Sapphirum* occidit, & *Paulus* inceſtuoſum *Corinthium* Sathanæ tradidit) tunc negamus *Minorem*. Sin autem *Suarez* velit, Chriſtum Dominum dediſſe Petro, eiuſque Succeſſoribus, omnem poteſtatem ſufficientẽ, & neceſſariam, non quidem temporalem, ſed ſpiritualem, non illimitatã, ſed naturæ, & conditioni ſpiritualis Reipublicæ, eo modo, quo Eccleſia à Chriſto inſtituta eſt, accommodatam, & quantum eſt ex parte ipſius poteſtatis, & non reſpectu eorum, quæ ex parte Subiecti neceſſaria ſunt, vt poteſtas effectum ſortiatur, *Minorem* " libenter concedimus: Sed tunc ne-" gamus, poteſtatem Principes depo-" nendi, eoſue pœnis temporalibu" coercitiuè caſtigandi eſſe Reipub:" licæ ſpirituali, ſeu Eccleſiæ, eo mo-" do quo à Chriſto inſtituta eſt, neceſ-" ſariam, aut conuenientem, quantum " ex ſacra Scriptura, Sanctis Patribus,

" aut Ecclesiæ primitiuæ praxi colli-
" gere licet.

c Cap.6.Sec.1 num.6.

6 Quocirca, sicut superiùs [c] in nostra disputatione ad argumentum *Gretzeri* respondens affirmaui, quod vt *Papa* in voto, aut iuramento dispenset, duo potissimum requirantur, primum, auctoritas dispensandi, alterum sufficiens causa, seu titulus, ob quem potestate illa dispensandi vti possit, & sine quo titulo potestas illa dispensandi, tametsi alioquin sufficiens esset, nullum plane effectum sortiretur, attamen causa illa, seu titulus supponit quidem, sed non tribuit summo *Pontifici* dispensandi potestatem: Pari modo iam *Respondemus*, duos illos titulos, quos *Suarez* commemorat, esse quidem causas sufficientes, ob quas *Pontifex* meritò induci potest ad malos *Principes* deponendos, pœnisque temporalibus coercendos, dummodo tali pœnarum genere eos castigandi potestatem habeat, & quibus causis, seu titulis deficientibus, tametsi predicta *Principes* puniendi authoritas Summo *Pontifici* competeret, illius tamen executio planè iniusta esset, atta-

men hæ causæ, seu tituli non probant, esse in Summo *Pontifice* talem potestatem *Principes* temporales temporaliter coercendi, sed alijs vijs probandum est, talem potestatem esse a *Christo Domino*, S. *Petro*, eiusque Successoribus concessam, quod tamen hactenus, neque a *Suarez*, neque a quouis alio ex sacra Scriptura, aut alia efficaci ratione sufficienter demonstratum est. Pertinet quidem ad *Pastorem* oues suas coercere, sed iuxta modum a Supremo omnium *Pastore* illi communicatum. Iam vtrùm *Christus* dominus supremus Ecclesiæ Pastor eandem Summo *Pontifici*, eius in terris Vicario, concesserit potestatem *Principes* Seculares in ordine ad bonum spirituale temporaliter castigandi, quam *Deus Optimus Maximus* ipsis *Principibus* secularibus subditos suos in ordine ad bonum temporale puniendi communicauit, est ipsamet quęstio, quę modò agitatur. Et propterea, nisi *Suarez* in illud vitium incurrere voluerit, quod a Dialecticis *petitio principij* nominatur, nempe illud accipere vt probatum, quod ab eo probandum esset,

non solùm supponere deberet, penes *Pontificem* esse potestatem in *Principes* temporales non solùm pœnis spiritualibus, quæ Reipublicæ spirituali consentaneæ sunt, sed temporalibus etiam, quæ ad Reipub: duntaxat temporalem spectare videntur, animaduertendi, sed illud etiam solidis rationibus comprobare oporteret, & non solùm titulos quosdam, seu causas sufficientes assignare, ob quas *Pontifex*, si talem authoritatem haberet, eam iustè, licitè, tutaque conscientia exequi posset, quæque non probant, sed supponunt, talem esse in Summo *Pontifice* puniendi potestatem.

7 Ad illud autem, quod *Suarez* affirmat,[d] *solas censuras spirituales, non sufficere ad Principem rebellem corrigendum, & emendandum, vel ad eum, si corrigi nolit, dignè puniendum, vt diuturna experientia satis ostendit, & propterea esse necessariam in Ecclesia Christi, vt ab illo instituta est, hanc potestatem Principes temporales pœnis temporalibus castigandi ratio conuincit, quia alioquin facile censuras spirituales contemnerent, ac plurimum sibi, ac alijs nocerent*, Re-

d Num: 17. & 19.

spondetur, spiritualem excommunicationis Censuram, cum pæna sit tremendissima, & multo grauior, ait S. *Augustinus*,[e] *quàm gladio feriri, flammis absumi, aut feris subijci ad deuorandum*, esse quidem sufficientem, ad Christianum quemcunque *Principem* corrigendum, emendandum, dignéq; puniendum, quantum est ex se, seu ex parte ipsius potestatis. Sin autem non sit adeo sufficiens, vt *Principem* rebellem actu emendare, & a via sua mala retrahere valeat, hoc non est ex defectu ipsius potestatis, sed ex defectu sufficientis dispositionis in *Principe*, qui talem censuram non pertimescit. Neque necesse est, quòd Summus Pontifex talem sufficientem corrigendi, atque puniendi potestatem habeat, vt Principes iniquos actu emendare, atque a peccatis abducere valeat; Ita enim non solùm omnem sufficientem corrigendi, atque emendandi potestatem habere deberet, verùm etiam tales dispositiones in Subiecto efficiendi, quæ necessariæ sunt, vt potestas hæc effectum sortiatur; sed satis est, quòd talem sufficientem habeat pote-

e *Lib. 1. contra aduersarium legis & Prophet. Cap. 17.*

ſtatem eas ſpirituales pœnas infligendi, quibus Christiani *Principes* meritò deterreri, & præ talium grauiſſimarũ pœnarum horrore à vijs ſuis malis auocari poſſint.

8. Si igitur mali *Principes* cenſu-
" ras omnes Eccleſiaſticas contemp-
" ſerint, neque tam enormium pœna-
" rum formidine commoueri volue-
" rint, præſtitit Eccleſia officium ſuũ,
" neque alias pœnas habet, quas im-
" ponere valet, cum excommunica-
" tio *vel ſimilis pœna ſpiritualis, ſit vlti-*
" *ma, vt pleriſque Doctoribus placet*, ait
" Almainus, *quam Iudex Eccleſiaſticus*
" *ex Christi institutione infligere poteſt.*
" Et propterea in tali caſu, ait Abbas
" Winzetus, [f] *ipſius Dei iudicio, & ca-*
" *ſtigationi eos relinquere oportet*, à *quo*
" *ſolo, ait* Alexander Halenſis [g], *pœna*
" *materiali puniendi ſunt, quique non ca-*
" *ret modis*, ait Gregorius Tholoſanus,
" [h] *quibus poſſit quando voluerit eiuſmodi*
" *malos Principes tollere, vel emendare*,
" Quapropter *tolerandum eſt patienter*,
" dixit Ænæas Siluius, [i] *quod Princeps*
" *facit, quamuis iniquè, expectandaq; eſt*
" *vel Succeſſoris emenda, vel ſuperni*

f In velitatione contra Buccanan pag. 180.

g 3. part. q 40. num. 5. 9. 4.

h Lib. 26. de Repub. cap. 5. num. 25.

i In lib. de ortu & author Imperij Romani cap. 16.

"*correctio Iudicis, qui violentias, atque*
"*iniurias non sinit esse perpetuas.*

9. Simili prorsus huic, quam adhibuimus, Responsioni, vt in mea etiam *Apologia* obseruaui, [k] in re non dissimili vtitur *Card. Bellarminus* de malo *Pontifice* Ecclesiam vexante, & eius ruinam machinante, nec tamen iuxta eius doctrinam, habet Ecclesia in eo casu vllum efficax remedium, quo se liberet à tali iniuria. Respondet enim, " [l] *non mirum esse, si in eo casu manet Ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus eius præcipuè humana industria, sed diuina protectione, cum eius Rex Deus sit. Itaque etiamsi Ecclesia non possit deponere Pontificem, tamen potest, ac debet Domino supplicare, vt ipse remedium adhibeat, & certum est Deo fore curæ eius salutem, qui talem Pontificem vel conuertet, vel è medio tollet, antequam Ecclesiam destruat.* Quam quidem responsionem, ad malos *Principes* Ecclesiam persequentes totidem planè verbis rectissimè applicari posse, nimis manifestum est.

k *Num.* 188.

l *Lib.* 2. *de Cornelii cap.* 19. *ad* 2m.

10. Huiusmodi igitur arma cor-

poralia, *quæ Dei Ecclesiæ nesciunt*, ait Iohannes Papa octauus, [m] veluti potestas deponendi, occidendi, & de rebus omnibus corporalibus disponendi, ad Dei Ecclesiam spiritualiter regendam, ac protegendam nequaquã necessaria sunt: *Quandoquidem non nititur salus eius præcipuè humana industria, sed diuina protectione, cum eius Rex Deus sit, quæque ex persecutionibus potius crescat*, quam vllatenus deficiat. *Vt enim aquæ diluuij*, ait Card. Bellarminus, [n] *palatia Regum obruebant, atq; deijciebant, Arcam vero Noe magis ac magis attollebant: ita persecutiones Regna temporalia facilè destruunt, Christi Regnum, quod est Ecclesia, non solùm non destruunt sed etiam illustrant.* Atque hoc ipsum Iustinus *Martyr*, [o] *Tertullianus*, [p] & *Leo Magnus*, [q] a Card *Bell*o. relati disertis verbis affirmant. Quinimo, *non est absolutè necessarium*, ait idem Card. *Bellarminus*, [r] *vt communi hosti, qualis est Turca resistatur. Si enim Ecclesia conuersari potuit sub immanissimis persecutionibus Neronis, Domitiani, Decij, Diocletiani, cur non possit etiam sub persecutione Turcarum?* Quoniam

m *In* 16.9.*cap* porro.

n *Lib.4.de Eccles.cap.6.*

o *In Triphone.*

p *Capt.vlt. Apologet.*

q *Serm.1.de sanct.* Petro & Paulo.

r *Lib. de Concil.cap.10.*

igitur Ecclesia *Christi* rectè guberna-
ri, impij *Principes* corrigi, & castiga-
ri, atque fidelium animæ saluari pos-
sunt, absque eo quòd *Principes* tem-
porales per authoritatẽ Summi *Pon-
tificis* deponantur, aut pœnis tempo-
ralibus *coercitiuè* puniantur, clarum
est, eiusmodi depositiones, pœnasue
temporales ad *Christi* Ecclesiam gu-
bernandam, impios *Principes* corri-
gendos, & puniendos, atq; ad fideli-
um animas, quarum gratia potestas
hæc spiritualis Ecclesiæ communicata
est, in Paradisim perducendas nequa-
quam necessarias esse.

11. *Ad confirmationẽ* illã, quã *Suarez*
adducit, simili modo Respondetur,
esse quidem in Pastoribus Ecclesiæ
potestatem corrigendi impios quos-
cunque Christianos, etiam *Reges*, &
omnes Malefactores pœnis quibus-
cunque, quæ Ecclesiastico Iudici, ac
Pastori, vt à Christo institutus est, ac-
commodatæ sunt, castigandi. Sed
vtrùm pœnæ illæ, quę *per modum coer-
citionis* ab Ecclesia infligi possunt, so-
lùm Ecclesiasticæ censuræ sint ex
Christi institutione, an etiam pœnæ

temporales, est ipsamet questio, quæ iam in controuersia versatur, quam tamen *Suarez* extra controuersiam esse in summam plurimorum Catholicorum doctrina ac pietate præstantium contumeliam, & supremorum *Principum* graue prę iudicium nimis præcipitanter pronunciat.

12. Dixi *primo* [*per modum coercitionis*] nam *per modum directionis*, seu *præcepti*, posse Ecclesiam, seu Ecclesiasticos Iudices imponere, seu infligere (hæc enim duo iam pro eodem accipimus) pœnas temporales, si eiusmodi pœnæ ad Animarum salutem necessariæ fuerint, sæpius expressis verbis affirmauimus. Atque ita libenter concedimus, posse Ecclesiam, seu Pastores Ecclesiasticos ex *Christi* institutione præceptum imponere, vt aliquis verberibus, aut pecunia mulctetur, vt in exiliũ eijciatur, vt ad triremes damnetur, quin etiã vt capite, si id meritus fuerit, ex præscripto legis plectatur, dummodo eiusmodi pœnæ ad eternam animarum salutem necessariæ extiterint; Neque de hac imperandi potestate, sed solùm de

modo, quo pastores Ecclesiæ Christianos sibi in spiritualibus subiectos ad iussa sua exequenda constringere valet, vlla quidem meo iudicio, vt sæpiùs diximus, difficultas esse potest. Quid autem, si pręcepta Pastorum Ecclesiæ huiusmodi pœnas temporales imponentium contemnantur? Ad quid vlterius faciendum extenditur potestas eorum? Estne in Iudice Ecclesiastico, quà talis, authoritas ex *Christi institutione* eiusmodi pœnas per seipsum absq; auxilio brachij Secularis exequendi, nempe eum flagellandi, in exilium vi & armis pellendi, eumque vita priuandi, an solùm pœnis Ecclesiasticis præcepti Ecclesiastici contemptores ob contumaciam, atque inobedientiam castigandi? Iste totius difficultatis punctus est; neque vllatenus dubito, quicquid quidam Neoterici vociferentur, esse ad minus probabilem plurimorum Catholicorum sententiam, quique propterea neque *hæreseως* neq; *erroris* condemnandi sunt, pœnas illas, quas Iudex Ecclesiasticus, vt Ecclesiasticus est, *ex Christi institutione per modum coercitio-*

nis infligere poteſt, eſſe duntaxat Eccleſiaſticas cenſuras. Atque ita communis Eccleſiæ praxis eſt, vt quando Eccleſiaſticus Iudex mulctam pecuniariam imponit, executio talis ſententiæ ſub pœnis Eccleſiaſticis precipiatur, vt conſtat ex concilio Tridentino, ſeſſ. 25. cap. 3. vnde in Prouincialibus Angliæ conſtitutionibus tale habetur decretum.[f] *Statuimus, quod làici ad exoluendum quaſlibet pœnas tam corporales, quam pecuniarias canonicas per Prelatos ſuos eis inflictas præciſe per excommunicationis ſententiam compellantur. Impedientes vero ne pœnæ huiuſmodi exoluantur per Interdicti, & Excommunicationis ſententias arceantur.*

f *Cap. & venit de pœnis.*

13 Dixi *ſecundò* [*Ex Chriſti inſtitutione*] neque enim mihi animus eſt negare, quod ſane à nemine negari poteſt, Eccleſiaſticas perſonas ex conceſſionibus, priuiligijs, & poſitiuis Principum temporalium legibus, habere quidem autoritatem malefactores ob crimina ſpiritualia pænis temporalibus, non ſolùm per modum *directionis*, verùm etiam *coercitiuè* puniendi,

endi, vt ſuperius [t] *ex Ioanne Gerſonio*, & *Iacobo Almaino* retulimus. Et propterea totum illud, quod *Suarez* ad antecedentem propoſitionem confirmandam adducit, illi vltro concedimus; nempe Summos *Pontifices*, & Concilia interdum mulctas pecuniarias, & alias temporales pœnas iniungere, quin etiam membrorum mutilationem, atq; extremum mortis ſupplicium nonnunquam imponere, vt patet ex cap. *Delatori* 5.q.6. & ex can. *in Synodo* diſt. 63. quomodocunque *Suarez* illis verbis [*citra vitæ, aut membrorum periculum*] hoc diſſimulare videatur. Sed hoc eſt, de quo iam cum *Suarez* contendimus, quòd ſi ipſe has temporales pœnas a ſacris canonibus, non ſolum *per viam directionis & præcepti*, ſed etiam *per modum coercitionis* ordinatas eſſe omnino velit, talia decreta vel ſolùm in temporalibus Eccleſiæ territorijs, *in quibus Papa & Summi Pontificis authoritatem exercet, & Summi Principis exequitur poteſtatem*, [u] obligandi vim habere, vel leges Principum ciuiles pœnas temporales imponentium confirmare, vel ex con-

t *Sec.1.nu.8.*

u *In cap. per venerabilem.*

ſenſu *Principum* temporalium ſancita eſſe, vel quid facere debeat Iudex Secularis declarare, vel demum ab Eccleſiaſticis Iudicibus ordinata eſſe, non quatenus authoritatem ſibi ex *Chriſti* inſtitutione conceſſam, ſed ex conceſsionibus, priuilegijs & poſitiuis *Principum* Secularium legibus communicatam habent, iuxta probabilem plurimorum Doctorum opinionem, qui vt ex *Almaino* vidimus, affirmare non dubitant, *poteſtatem Eccleſiaſticam ex Chriſti inſtitutione nullam pænam ciuilem, qualis eſt mors, exilium, bonorum priuatio, flagellatio, aut etiam incarceratio, infligere poſſe, ſed ad ſolam pænam ſpiritualem, vt puta Excommunicationem, extendi, reliquas autem pœnas, quibus vtitur, ex conceſſione Principum, & iure purè poſitiuo eſſe.*

14 Atque ita *Cardinalis Hoſtienſis*, qui, tametſi directum Summi *Pontificis* in temporalibus Dominium, ſeu poteſtatem Regiam totis viribus propugnet, nihilominus in Commentarijs ſuis ſuper Canonem illum, *Ad abolendam* (quicquid *Leonardus Leſſius*, in libello ſuo, ſub Doctoris *Singletoni*

nomine, perſonato, in re apertiſſima egregiè allucinatus in contrarium falſiſſimè ſcribat) [x] in quo Pontifex decreuit. Hæreticorum bona confiſcanda eſſe, vnam inter cæteras ad *Canonem* illum Reſponſionem adhibet, quam vt improbabilem non reprehendit, nempe Summum *Pontificem Innocentiam* decretum illud condidiſſe *ex aſſenſu Imperatoris, qui tunc Padua preſens conſenſit.* Et Gloſſa in cap. *Adrianus* Diſt. 63. vbi Papa præcipit *eorum confiſcari bona, qui eius preceptum violant,* & in cap. Delatori. 5. 9 6. vbi ſtatuit *Delatoribus linguam capulandam, aut conuictis caput amputandum eſſe* ita Reſpondet, *hic docere Eccleſiam, quid facere debeat Iudex Secularis.*

15 Concedimis igitur neceſſarium eſſe, vt ſit in *Eccleſia* poteſtas impios Chriſtianos atque hæreticos pœnis capitalibus caſtigandi, ſi per *Eccleſiam,* totam fidelium congregationem in-

x *Nam in ſua decreti Concilij Lateran. diſcuſſione, quam nos alibi diſcutiemus, part. 1. nu. 12. aſſeueranter ſcribit,* Immo ipſe *Oſtienſis in cap.* Ad abolendam de *Hæreticis* non ſcripſit, vt Aduerſarius iudicat, ſicut nec in alios textus: *cum tamen, vt ita dicam, Lippis, & tonſoribus notum ſit* Oſtienſem *tum in Canone ad* Abolendã, *tum in reliquos Decretalium textus commentaria edidiſſe, quod ſane nequaquam latere potuiſſet* Leſſium, *ſi vel Theologos, vel Iuriſconſultos, vel Hiſtoricos, qui eius libros ſæpius citant, vel ſuum etiam* Poſſeuinum *attentè perlegiſſet.*

telligamus, provt *Ecclesia* tum Clericos, tum fideles etiam Laicos comprehendit. Libenter enim agnoſcimus *Principes* Chriſtianos habere poteſtatem Hæreticos vltimo ſupplicio afficiendi, & huiuſmodi pænas eſſe iuſtiſſimas, Eccleſiæ vſus ſatis conuincit, & optimè defendit S. *Auguſtinus* aduerſus *Parmenianum*, *Petilianum*, & *Gaudentium* Donatiſtas qui docebant, non licere hereticum incorrigibilem tradere Seculari Magiſtratui, vt morti adiudicetur. Sed de hoc nos in preſenti non diſputamus, ſed hoc ſolum, de quo nunc cum *Suarez* contendimus, eſt, vtrùm perſonæ Eccleſiaſticæ, quâ tales, ſeu quod idem eſt, vtrùm poteſtas ſpiritualis Eccleſiæ abſque ope, & auxilio brachij Secularis, ſeu poteſtatis politicæ hereticos pænis temporalibus, atque capitalibus *ex Chriſti inſtitutione* coercere poſsit. Atque hinc (Lector beneuole) perſpicere poteris, quam aſtutè *Suarez* in hac re procedat, dum auctoritatem S. *Auguſtini* pro confirmandis Eccleſiæ legibus, quæ pœnas capitales hæreticis decernunt, adducit, quaſi

Lectori omnino persuadere vellet, S. *Augustinum* approbasse authoritatem Summorum *Pontificum*, seù Ecclesiasticorum, quâ tales, pœnas temporales, & capitales hæreticis infligendi, cum tamen *S. Augustinus* de tali potestate Ecclesiastica nunquam somniauerit, sed longe alia ipsius sententia fuerit, vt antea [y] commonstrauimus, nempe *in Ecclesia Christi visibilem gladium esse cessaturum, atque gladio materiali*, seu pœnis capitalibus, *quo in veteri testamento* Moses *&* Phinces *vsi sunt, excommunicationes, & degradationes in Lege noua succedere oportere.* Sec. 2. nu. 11.

16. Quapropter, si Christiani priuati Ecclesiasticas censuras contempserint, facilè per *Principes* Christianos, qui Ecclesiam defendere, illiq; opem ferre ex lege *Christi* tenentur, corrigi, & castigari possunt. Illud enim, quod ait *Suarez, vindictam Malefactorum, per se solùm pertinere ad Ciuiles Magistratus, quatenus politico fini, & paci Reipublicæ, & iustitiæ humanæ contraria sunt; coercere autē illa, vt sunt religioni, & saluti animæ contraria, per se spectat ad*

spiritualem potestatem, & ideo ad illam maximè pertinere debuit facultas vtendi temporalibus pœnis ad talem correctionē, vel per se illas inferendo, vel temporalis brachij ministerio vtendo, vt omnia decenter, ordinatè, & efficaciter fiant, est sane æquiuocum, & nisi rectè intelligatur, doctrinam quandam perniciosam inuoluit: vel enim *primò* intelligit *Suarez*, non spectare ad *Principes* Christianos, quâ *Principes* tantùm seculares sunt, malefacta vlcisci, nisi quatenus politico fini, & publicæ ciuium quieti contraria sunt, & in hoc sensu propositio eius vera est, nam punitio criminum spiritualium, quâ spiritualia sunt, per se non spectat ad Magistratum ciuilem, quâ ciuilis est, sed solùm per accidens, quatenus pacem publicam perturbant, atque ita temporalia euadunt: Vel *secundò* loquitur *Suarez* de *Principibus* Christianis, non quâ *Principes* tantùm sunt sed quâ *Principes* Christiani sunt, (neque enim ipse, vt opinor, negabit, aliud esse officiū *Principis* in genere, & consequenter *Principis* etiam infidelis, & aliud *Principis* Christiani) & in hoc

 sensu

sensu propositio eius est falsissima, & doctrinam perniciosam includit. Ex ea enim videtur sequi, *Reges Christianos debere curare Rempublicam suam, & pacem publicam, de religione autem non debere curare, sed permittere singulis, vt sentiant prout voluerint, & viuant vt voluerint, modo non perturbent pacem publicam, qui est error perniciosissimus,* ait Card. Bellarminus [z] *nam sine dubio tenentur Principes Christiani ex lege Christi dare operam, vt ea fides seruetur, quam Ecclesia Catholica docet esse tenendam.* Spectat quidem ad spiritualem potestatem statuere, quænam doctrina sit orthodoxa, atque de fide tenenda, & pœnas spirituales, quæ potestati spirituali consentaneæ sunt, in contrarium docentes decernere, sed quòd potestas spiritualis per se pœnis temporalibus vti, illasque inferre possit ad talem correctionem, cum huiusmodi potestas ad Brachium Seculare solùm pertineat, non est hactenus à *Suarez*, aut alio quouis sufficienter demonstratum.

[z] *Lib. 3. de Laicis cap. 18.*

17. In illis etiam verbis [*vel temporalis brachij ministerio vtendo, vt*

omnia decenter, ordinatè, & efficaciter fiant] nonnulla æquiuocatio latere poteſt: Si enim *Suarez* velit, *Principes* Chriſtianos, dum pœnis temporalibus hæreticos afficiunt, tales eſſe *Eccleſiæ*, ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ *miniſtros*, quales ſunt Carnifices, ſeu exequutores iuſtitiæ à *Principibus* Secularibus conſtituti, qui non propria, ſed publica *Principis*, & *Reipublicæ* authoritate ſententiam Iudicis exequuntur, quique ideo pœnam à Iudice impoſitam remittere, aut relaxare nequeunt, falſum docet; *Principes* enim Chriſtiani propria authoritate, & non ex poteſtate illis à Summo *Pontifice*, aut poteſtate Eccleſiaſtica delegata, pœnas capitales in hæreticos decernunt, illaſque proinde, vt optime dixit *Dominicus Bannes*, [a] *vel condonare, vel hæreticos alio modo punire poſſunt.* Et propterea ſi *Principes* Chriſtiani Eccleſiaſticis cenſuris perterriti non fuerint, non poteſt Eccleſia, cum iam vltima pœna, ad quam poteſtas Eccleſiaſtica extenditur, vſus fuerit, aliud ſupplicium irrogare, ſed oportet Deum ſuppliciter exorare, vt corda talium *Principum*

[a] *Supra in diſp. citatus cap. 7. ſec. 2. in fi e.*

cipum ad bonum inclinet, ipsosque sempiterni *Regis* iudicio, & castigationi relinquere, ad eum plane modũ, quo Ecclesia iuxta mentem *Card. Bellarmini* cum malo *Pontifice* Ecclesiam vexante, eiusque ruinam machinante procedere debet; Quod si *Principes* iniqui non solùm Ecclesiasticam excommunicationis censuram, verùm etiam ipsam depositionis sententiam à Summo *Pontifice* contra illos latam contemnerent, vellem, vt *Suarez* nobis declararet, quænam authoritas tunc in Ecclesia, id est, Ecclesiasticis viris, quâ tales sunt, superesset, ad huiusmodi *Principes* coercendos, & populum Christianum ab eius tyrannide defendendũ, profectò, si ratiò illa à *Suarez* allata valida esset, planè probaret, oportere in Ecclesia esse potestatem miracula patrandi, & vel tales *Principes* verbo oris sui occidendi, sicut *S. Petrus Ananiam* interfecit, vel illos *Sathanæ* tradendi, sicut S. *Paulus* fornicarium tradidit, vt à Diabolo corporali afflictione, iuxta mentem *Suarez* vexati, ad penitentiã agendam compelli possint.

Sec. 7. 18. Præ-

18. Prædicta igitur Supremorum *Principum prærogatiua*, seu *ius*, quòd nimirũ pœnis temporalibus à nemine mortalium cogi & coerceri queant, non rectè appellatur à *Suarez libertas, seu potius licentia peccandi.* nam inter peccandi licentiam, & impunitatem, magnum discrimen constituendũ esse quis non videt? *Principes* enim supremos peccandi quidem impunitatem id est, si peccent, pœnis temporalibus à solo *Deo*, qui ipsis in temporalibus superior est, punire posse, plures recentiores Theologi concordi veterũ *Patrum*, quorum aliquos in mea Apologia recensui,[b] sententiæ adhærentes, constanter asseuerant; neque contrarium adhuc aut *Suarez*, aut alius quispiam vllo solido argumento euicit; sed potestatem, seu licentiam peccandi Deum *Regibus* tradidisse, nemo Catholicorum vnquam affirmauit; Et cum *Card. Bellarminus* superiùs[c] relatus asseruerit, malos *Pontifices* nullis omnino pœnis, nec temporalibus, nec spiritualibus coerceri posse, an propterea *Suarez* affirmabit, *Card. Bellarminum* Summo *Pontifici* libertatem,

b *Num.* 5.

c *In hac sec. num.* 9.

tem, seu potius licentiam peccandi concessisse?

19 Atque hinc patet *Responsio* ad probationem prioris illationis: non enim eadem est ratio de Principibus, atque de subditis castigandis. Principes enim, cum in temporalibus supremi sint, & iuxta Sanctorum Patrũ doctrinã solo DEO minores, à solo DEO pœnis temporalibus castigari possunt, atque ita suprema eorum dignitas temporalis eos, tametsi non à peccando, à punitione tamen temporali immunes, & exemptos reddit, cum nemo nisi à Superiore, quem Principes supremi nullũ prętet DEVM in temporalibus recognoscunt, iudicari, & puniri possit. Quod si semel admitteremus, Principes supremos in temporalibus subiectos esse, tunc fortasse magis necessarium esset, vt potiùs mali Principes, quàm mali subditi ob causas, quas *Suarez* adduxit, pœnis temporalibus coercerentur; Sed cum à coactione temporali Principes supremi ob supremam ipsorum potestatem temporalem immunes sint, hæc ratio ipsius non magis aduersùs Prin-

cipes, quàm aduersus Pontifices militat. Nam & Pontifices *liberiores sunt, & ita faciliùs labuntur, & semel lapsi difficiliùs corriguntur, & Pontificum peccata perniciosiora sunt, facilè enim subditos ad sui imitationem pertrahunt, & Pontifices grauiùs, quàm cæteri delinquunt, & ideo etiam grauiùs puniri debent, vt de ipsismet* Pastoribus *dixit S. Gregorius in Pastorali*. Sicut igitur *Card. Bellarminus, Suarez*, & plures alij recentiores Theologi, quantumvis affirment, non posse Ecclesiam Summum Pontificem, tametsi iniquissimum, iudicare, deponere, aut pœna aliqua, siue temporali, siue spirituali castigare, cum ipsi Pontificem Concilio generali, atque adeo Ecclesia vniuersa maiorem esse totis viribus contendant, non tamen propterea potestatem, seu licentiam peccandi Pontifici tribuere censendi sunt, ita etiam tametsi ego existimem, malos Principes, cum in temporalibus supremi sint, & solum DEVM in temporalibus superiorem recognoscant, à solo DEO pœnis temporalibus coerceri posse, non tamen propterea vllã pec-

candi poteſtatem, ſeu licentiam, vt perperam *Suarez* imaginatur, Regibus tribuendam eſſe cenſeo. Atque hæc de primo illo titulo, ob quem Summus Pontifex ex mente *Suarez* Principes deponere poſſit, dicta ſufficiant.

SEC. 8.

In qua ſecunda *Argumenti pars, quam Suarez* ex titulo iuſtæ defenſionis *trahit*, *clariſſimè diluitur.*

1. SEcunda pars Argumenti, quæ ex *ſecundo* titulo, ſeu cauſa, ob quam ex mente *Suarez* penes Summum Pontificem eſt poteſtas Principes ſupremos deponendi, & de omnibus temporalibus diſponendi, eodē planè modo, quo præcedenti titulo ſatisfactum eſt, facillimè diſſoluitur. Si enim ſemel ſolidè demonſtrari poſſet, eſſe in Summo Pontifice poteſta-

tem Principes abdicandi, tunc procul dubio *secundus* titulus, nempe, vt Christianum populum defendat, esset quidem causa sufficiens, ob quam Summus Pontifex dictam potestatem licitè, tutaque conscientia exequi posset; veruntamen iste *titulus* non magis efficaciter, quàm præcedens probat, sed solùm supponit, quod probandũ esset, talem potestatem Summo Pontifici à Christo Domino concessam esse. Fateor equidem libentissimè, Summi Pontificis munus esse, vt subditos fideles ab impio, & hæretico Principe defendat, sed iuxta limitatã illam authoritatem, quam Christus Dominus illi largitus est, & per media illa licita, quibus ex Christi institutione vti possit: veruntamen, vtrùm potestas deponendi, occidendi, & omnibus illis temporalibus medijs vtendi, quæ Principibus temporalibus in ordine ad bonum temporale conveniunt, sub illis verbis, *Quodcunq; solueris, Pasce oues meas, Secularia iudicia si habueritis* &c. comprehendatur, est ipsamet quæstio, de qua, iam cum *Suarez* contendimus, cum *de hac re certent*

tent

tent Scholastici, vt ait Trithemius, *& adhuc sub Iudice lis sit, an Papa possit Imperatorem deponere*, & *plærique Doctores* Catholici, vt ex *Almaino* vidimus, in ea sint opinione, quòd *potestas Ecclesiastica ad pœnas temporales infligendas nequaquam ex Christi institutione extendatur, adeo vt neque quenquam incarcerare, nisi ex concessione, & priuilegijs Principum queat.*

2 Et tametsi S. *Thomas*, & alij probati Theologi existimarent, posse Summum Pontificem ratione huius *tituli* priuare *Regem* infidelem dominio, & potestate supra fideles, hoc tamen non sufficit, vt ex doctrina *Gabrielis Vasquez* ostendimus, ad contrariam Theologorum sententiam, vt hæreticam, aut erroneam, condemnandam. Et propterea quid S^t. *Thomas*, & alij probati Theologi, qui eius sententiam sequuntur, ex illis verbis *pasce oues meas*, *Quodcunque solueris*, *Secularia Iudicia si habueritis*, aut alijs sacræ Scripturæ locis, non demonstratiuo, sed probabili ad summum discursu concludunt, ad presentem, de qua agitur, cōtrouersiam non magno-

pere refert, nisi eorum collectiones adeo probatæ essent, sicut reuera non sunt, vt illis nulla *Responsio probabilis* adhiberi posset. Certe rationes, quas S. *Thomas* ibidem in argumento, *sed contra*, & in *corpore articuli* pro sua sententia confirmanda adducit, quia nimirum *infideles non possunt iudicare de fidelibus*. 1 Cor. 6. Audet aliquis vestrum, &c. *ergo videtur, quòd infideles fidelibus præesse non possint*; & quòd *iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ authoritatem Dei habentis tale ius dominij, seu prælationis infidelium super fideles tolli possit, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferūtur in filios Dei*, adeo infirmæ sunt, vt neque *Suarez* nec alius quispiam probatus Theologus, tametsi eas vt solidas approbare velint, eas tamen solidas esse solidè comprobare valeant. Nam *primi* argumenti tum antecedens, tum consequens propositio apertè falsæ, atque in fide erroneæ sunt, illudque propterea S. *Thomas* in corpore articuli reijcit, & *secundæ* rationi penitus adhæret. Quam infirma autem *secun-*

da eius ratio ſit, euidenter conſtat; Tametſi enim *Principes* infideles merito ſuæ infidelitatis non ſolùm Dominium, & prælationem ſuper fideles, verùmetiam ſuper infideles amittere mererentur, & inſuper æterno gehennæ ſupplicio digni ſint, non tamen propterea ab inferiori, aut æquali, cum *par in parem non habeat imperium*, iudicari, aut dominio temporali priuari poſſunt. Et quantumuis Eccleſia, cum ſpiritualis Reſpublica a *Chriſto* Domino conſtituta ſit, in ſpiritualibus *Dei* authorem vtcunque habeat, in cauſis tamen temporalibus *Principes* temporales ſupremi ſunt, & ſolum Deum, a quo temporaliter iudicari, pænisque temporalibus plecti queant, Superiorem recognoſcunt.

3 Ad illud ex S. *Paulo* 1. Cor. 6. *Secularia iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia illos conſtituite ad iudicandum*, tam ego in mea *Apologia* [a], quàm antea *Gulielmus Barclaius* [b], & nuperrime *Ioannes Barclaius* [c], qui patris demortui cauſam aduerſus omnes *Card. Bellarmini* obiectiones eleganter, ac eruditè propugnauit,

a *Num.* 270.
b *De poteſt. Papæ cap.* 21.
c *Cap.* 21 9. 2.

copiosé admodum respondimus. Et tametsi *Suarez* se *Card. Bellarmini* ad *Gulielmum Barclaium* Responsionem, quam summis laudibus extollit, vidisse insinuet, atamen neque de mea *Apologia*, neque de *Ioannis Barclaij* replicatione vllam omnino mentionem facit, sed hunc eundem textum ita nudè & crudè nunc iterum vrget, quasi nunquam a nobis illi plenè satisfactum fuisset. Quoniam igitur, vir iste doctissimus in sua ad *Regem nostrum Sernissimum* Peroratione, se fidei veritatem sincere, & solius veritatis intelligendæ gratia declarare pretendit, ab illo etiam obnixè postulamus, vt si fortasse ad ea, quæ hîc a me aduersùs suas obiectiones allata sunt, respondere, sicut paratum se esse *suæ Maiestati* profitetur, in animo habuerit, posthàc istiusmodi librorum notitiam habere velit, & responsiones, quas inibi adduximus, vel solidè impugnet, vel ut improbabiles impugnari non posse ingenuè confiteri non erubescat.

4 Tale itaq; responsum prædicto textui adhibuimus, nempe non iussisse S.

ſe S. *Paulum* eo loco, vt noui *Iudices Ordinarij* temporalium cauſarum, qui authoritate publica lites terminandi poteſtatem haberent, a Chriſtianis conſtituerentur, ſed ſolum *Arbitri*, qui abſque ſtrepitu, & coactione forenſis iudicij Chriſtianorum lites quietè componerent. Quoniam enim lites, & contentiones inter ipſos Chriſtianos, qui tunc nouam Religionem prędicare cœperant, tametſi ex ſe licitæ eſſent, graue tamen infidelibus ſcandalum præbere poterant, admonet *S. Paulus*, vel ad ſummum præcipit fidelibus Corinthijs, ne ſint iudicia, aut contentiones inter ipſos, ſed potiùs, vt iniuriam accipiant, fraudemque patiantur. Quod ſi ob eorum infirmitatem contingat aliquam inter ipſos oriri controuerſiam, apud ſemetipſos cõmuni ſenſu eligant *Arbitros*, qui lites ſuas quietè cõponant, neq; voluntariè Iudicũ infideliũ tribunalia petãt, qui, dum vident Chriſtianos inter ſe digladiantes, facilem arripient occaſionem eos, quos propter fidem odio habent, contemnendi, calumniandi, & opprimendi, atque etiam ipſimet à

Religione Christiana magis auertentur. Et ne aliquis forsan existimaret, Christianos non esse dignos, seu idoneos secularium controuersiarum *Arbitros*, vtitur Apostolus argumento, quod Dialectici *à maiori ad minus* appellant. Si enim Christiani Angelos iudicabunt, an non idonei censendi sunt, qui causas seculares, quietè, & pacificè absque rigoroso forensis iudicij strepitu quietè, & pacificè inter Christianos componant? Atque hoc totum est, quod verba *S. Gregorij* à *Suarez* allata, quæ tamen in loco à *Suarez* allegato non habentur, probare possunt, *cui enim aperiendi, claudendiq́ cœli data est potestas, nonne idoneus censendus est, qui de terra præsertim vt Arbiter iudicare possit?*

5 Hos autem Iudices, qui ex mandato Apostoli à Corinthijs constituendi erant, non fuisse veros, & Ordinarios Iudices, qui authoritate publica lites iuridicè, & absque partium contendentium consensu terminandi potestatem haberent, sed fuisse quoad potestatem Iudiciariam meros Arbitros, siue à partibus litigantibus,

orta iam lite, eligendi, siue à tota communitate, & singulis partibus ad controuersias ipsarum vel tunc ortas, vel postea orituras quietè componendas constituendi essent, (nam ad iudiciariam Arbitri potestatem parum refert, vtrum à tota multitudine, vel à partibus litigantibus Arbiter designetur) præterquam quòd eiusmodi Iudices fuisse Arbitros *S. Chrosostomus*[d], *Iacobus Almainus*[e], & *Alphonsus*[f] *Salmeron*, expressis verbis affirment, probauimus etiam authoritate ipsius *S. Thomæ*, & *Glossæ* in eum locum, qui disertissimè asserunt, *Apostolum non prohibuisse hîc fideles sub Principibus infidelibus constitutos comparere coram eis quando vocantur, hoc enim esset contra subiectionē, quæ Principibus debetur, sed prohibuisse, ne voluntariè recurrerent ad Iudices infideles in illis negotijs quæ determinari possunt per fideles.* Adeo vt, *neque Apostolus intendat*, ait Gabriel Biel[g], *prohibere Corinthios in omni casu apud infideles iudicari, neque quòd soli fideles debeant secularia iudicare; sed illos solummodò reprehendat, qui indiscretè, malitiosè, & cum scandalo apud*

d *In hunc locū*
e *De potest. Eccl. & Laica q.1.cap.10.*
f *Tom: 14. disp. 49.*
g *Lec.75 in Can. Missæ.*

infideles, & iniquos iudicari volebant. Itaque, vt communiter docent Doctores, loquitur *Apostolus* de illis, qui *Actores* erant in iudicijs, hoc est, qui propria voluntate ad profanos ibant Iudices, & fratres ad eorum tribunalia trahebant, & non de his, qui in ius trahebantur, in quorum libertate non erat authoritatem Iudicũ infidelium declinare. Ita *Theodoretus, Caietanus, Salmeron, Catharinus* in illum locum, & *Durandus* in 2.° dist: 44.q.3.nu:14.

6 Quoniam igitur *Apostolus* iuxta doctrinam *S.Thomæ, Nicholai de Lira, aliorumq; Expositorum*, non præcipit fidelibus Corinthijs, vt tali modo secularium causarum Iudices constituerent, ex quo de subiectione Principibus debita aliquid derogarent, & quòd in ius vocati comparere, sententiamq; Iudicis infidelis expectare, illique obedire tenerentur, sed solùm prohibet, ne voluntarié, & sua sponte ad Iudices infideles recurrant in illis negotijs, quæ determinari possunt per fideles, sed vt lites suas ob scandalum vitandum pacificé inter se componant, necessariò consequitur, hos Iudices, si ius

 dicendi

dicendi potestatem à Seculari Principe deriuatam non haberent, fuisse quoad potestatem *meros Arbitros*, tametsi forsan non à partibus litigantibus contestata iam lite constituendos, sed à tota multitudine tanquam ordinarios futurarum omnium controuersiarum *Arbitros* communi sensu eligendos. Quomodo enim illi veri Iudices, vt *Iudex* ab *Arbitro* distinguitur, esse possent, quorum iudicio partes litigantes non ex iustitiæ debito, sed solum vel causa vitandi scandali, vel ex compromisso stare tenebantur, sed si istorum arbitrium alter contendentium iniquum esse iudicaret, posset secluso scandalo ad tribunal Principis infidelis prouocare, eiusq; sententiam tam petitor, quàm reus expectare, atque ex debito iusticiæ, & subiectionis exequi cogebantur?

7 Itaque non est bona hæc consequentia, Possunt fideles ex sententia Apostoli, atque etiam causa vitandi scandali debent nouos Iudices *Arbitros* constituere in illis causis, in quibus tribunalia Gentilium adire non tenentur, ergo pari ratione nouos Reges, &

Principes constituere possunt. Nam primum nihil derogat Principum potestati, at secundum est contra subiectionem Principibus debitam, non debent autem Christiani ex sententia Apostoli aliquid moliri, quod subiectioni Principibus etiam infidelibus debitæ aduersatur, vt iam ex *S. Thoma* & *Lyrani* glossa vidimus. Et mirum sané mihi videtur, quomodo *Suarez*, vir alioqui doctissimus, authoritatem Apostolicam omnimodam subiectionem Principibus adimendi ex hoc contextu probare non erubescat, in quo Apostolus nihil prorsus contra subiectionẽ Principibus debitam constituere intendit.

8 Ad primam partem argumenti, quod *Suarez* postremo loco adducit [*nimirum, quòd coniux fidelis seperari potest à coniuge infideli, si cum illo non possit sine iniuria Creatoris habitare iuxta doctrinam Pauli* 1. *Cor.* 7. *Et ex eadem radice filij baptizati à Patrum infidelium potestate, & consortio liberantur, vt dicitur in Concilio Toletano quarto cap*: 59. *ergo simili, vel maiori ratione priuatur Rex Christianus, seu subditus Ecclesiæ*

ratione baptismi potestate, & dominio in Vasallos suos] tam ego,[h] quam vterq; *Barclaius* copiosè respondimus, & maximum inter separationem viri, & vxoris, atque Principis, & subditorũ reperiri discrimen perspicuè commonstrauimus. Nam inprimis vinculum matrimonij inter virum infidelem & coniugem, quæ postea facta est Christiana, non dissoluitur authoritate Summi Pontificis, sed solius Dei, non quidem præcipientis, sed illud tàntùm permittentis, vt S. *Augustinus* disertis verbis declarat[k]; & proinde hæc similitudo nullatenus probat, penes Summum Pontificem esse authoritatem Principes infideles deponendi, & naturale ciuilis obedientiæ vinculum dissoluendi.

h *In Apolog. nu.* 283. *& seq.*

i *Cap.* 23.

k *Lib.* 1. *de Adulter. coniugijs cap.* 19.

9. *Secundò*, si sermo sit de *Principibus* hæreticis, quorum potissimùm causa quæstio hæc de *Principibus* authoritate Papali deponẽdis à *Suarez*, alijsq; recentioribus instituta est, hæc similitudo sententiam suam penitus euertit. Constat enim, coniugem baptizatam non posse ita separari à viro hæretico, vt matrimonij vincu-

lum, quod quidem post consummationem est indissolubile, dissoluere, & alterum ducere coniugem priore superstite queat, quantumuis ponamus, eam cum coniuge hæretico absque iniuria creatoris, & fide habitare non posse, ergo neque subditi baptizati ita liberi sunt à subiectione *Principis* hæretici, vt ipsum deponere, & alium *Principem* sibi constituere queant, tametsi ponamus, tales subditos absq; iniuria creatoris, & fidei sub dominio, & obedientia illius *Principis* hæretici permanere non posse.

10. *Tertiò*, hæc similitudo non videtur esse omnino conueniens: Ratio enim, quare coniux fidelis libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, non est, quia coniux super coniugem vllam habeat authoritatem, nam quoad hanc separationem vir, & uxor sunt omnino pares, at si populus suum *Principem* deponere posset, argueret, populum subiectum maiorem esse suo *Principe*, cum nemo nisi à maiori iudicari, & castigari queat, immo & supremam

authoritatem coercitiuam, quæ populo ſubiecto, qui ſe tota ſua authoritate abdicauit, eamque in Principẽ tranſtulit, competere non poteſt, in populo ſubiecto reſidere. Iſtud ad ſummum ex hac ſimilitudine concludi poteſt, quòd ſicut coniux fidelis, ſi abſque iniuria creatoris cum coniuge hæretico habitare nequeat, cum illo habitare non tenetur, ſed matrimonij vinculum diſſoluere, & alterum maritum ſibi eligere nequaquam poteſt, ita ſubditus fidelis, ſi abſque iniuria creatoris ſub *Principis* hæretici dominio manere nequeat, poteſt fugam capeſſendo propriam patriam relinquere, (hoc enim nullam ſubditi in *Principem* ſuum authoritatem arguit, ſed quoddam duntaxat ius illi ex lege naturæ debitum ad inculpatam ſuæ ſalutis tutelam, cui armis ſpiritualibus, quæ propria ſunt militum Chriſti, aut ſaltem fuga conſuli poteſt) ſed *Principem* ſuum deponere & naturale ſuæ fidelitatis vinculum ob cauſam prædictam diſſoluere nullatenus valet.

11. *Poſtremò*, vt optimè obſeruat

Ioannes Barclaius, [1] *qua tempestate Paulus hæc scripsit, nonne vt fideles aliqui cũ infidelibus matrimonij vinculo tenebantur, ita & fideles aliqui subiectionis iure infidelibus erant obnoxij? Immo omnes Christiani; nullis tunc Principibus, præter infideles, regnantibus, & aliquot præterea serui fideles, sub infidelium iugo; vt patet ex 1. ad Timotheum. 6. Nullo tamen Apostolus loco, nullo casu concessit, vel vt ciues ab infideli Principe deficerent, vel a Dominis serui. Quidni vero tam fidelem populum, quàm fidelem coniugem sui iuris admoneret Apostolus? cur laqueum iniecisset? Docet inquam, matrimonij fœdus firmum esse debere; posse tamen in infidelibus solvi, alterutro ad Christum accedente. Docet rursus, subditos, atq; seruos, propter conscientiam, Principibus, & dominis parere debere, nec exceptionem addit infidelis Principis, aut Domini (vt de matrimonio agens) immo illam manifestè excludit, cum tunc de infidelibus Principibus ageret, & de infidelibus Dominis. Ex illius ergo doctrina fideli populo, seruisq; fidelibus, infidelem Principem, aut dominum à potestate deijcere nulla iura*

[1] *Cap.* 23. §. *prima.*

concedunt. En vt ex tuo argumento, argumentū perſpicuè pro Regibus natum.

12. Ad *ſecundam* partem argumenti eodem ferme modo Reſpondetur, filios baptizatos, à patrum infidelium poteſtate, & conſortio liberari, ne illorum iterum inuoluantur erroribus, non authoritate Summi Pontificis, ſed vel iure diuino, vt coniux fidelis libera eſt ab obligatione manendi cum viro infideli, vel authoritate Principis temporalis, cui infideles illi parentes in ciuilibus ſubijciuntur. Duplex enim vinculi genus, cui duplex etiam patria poteſtas reſpondet, obſeruare oportet, quo filij ſuis parentibus aſtricti manent: vnum eſt *naturale*, & *diuinum*, quod in eo conſiſtit, vt filij ſuos parentes, prout in decalogo continetur, debito honorè proſequantur, vtpote à quibus eſſe, & viuere proximè ſub Deo acceperunt: & iſtud vinculum nulla poteſtas humana ſoluere, aut relaxare poteſt (quæ autem obſequia filij parentibus tametſi infidelibus, & eos quoque ad infidelitatem pertrahere conantibus præſtare teneantur, tra-

ctant Theologi neque ea iam examinare opus eſt.) Alterum eſt *ciuile*, & *humanum*, quod ex *Principum* temporalum priuilegijs, & poſitiuis legibus, quæ filios ſub parentum cura, tutela, ac poteſtate ponunt, originem trahit. Atque hæc poteſtas parentum in liberos, iuxta proprias cuiuſcunque Regni leges, ac conſuetudines maior, aut minor eſt, & ad plura, aut pauciora ſe extendit, vt quòd filij cum parentibus habitent, quòd parentibus inuitis matrimonium contrahere, aut hunc vel illum contractum inire fas non ſit, quòd bona, quæ acquirunt, ſub parentum poteſtate ſint, & his ſimilia, atque hoc vinculum, ſicut iure humano impoſitum eſt, ità eodem iure per emancipationem tolli poteſt, & in quibuſdam caſibus nonnunquam tollitur.

13 Si igitur *Suarez* affirmare velit, in quarto illo Concilio *Toletano* ſolùm declarari, filios Iudæorum baptizatos, a parentum conſortio, & poteſtate, ex lege *Chriſti*, quæ quodcunq; probabile peccandi periculum prohibet, liberos eſſe, clarum eſſe ex

eo *Concilio* nullatenus confirmari potestatem Ecclesiasticam, vel subditos, vel filios baptizatos a *Principum*, aut parentum potestate re quidem vera eximendi, sed ad summum, quæ legi Dei prohibentur, aut permittuntur, interpretandi. Sin autem *Suarez* velit, *Concilium* illud filios Iudæorum baptizatos, a patria potestate liberos esse non solum declarasse, verum sua etiã authoritate liberasse, satis etiam constat, ex eo *Concilio* nullum efficax argumentum peti posse ad probandũ, viros Ecclesiasticos, quà tales, seu potestatem Ecclesiasticam, quà talis est, authoritatem habere filios a subiectione ciuili parentibus debita exonerandi; cum decretum illud authoritate, & consensu *Principis* temporalis, nempe *Sisennandi* Hispaniarũ *Regis*, latum esse manifestissimè appareat, tum ex primis illius *Concilij* verbis, in quibus habetur, *Concilium* illud *Regis Sisennandi iussis atque imperijs* celebratum esse, tum ex pluribus alijs decretis ad Iudæos pertinentibus, vt can. 64. *Præcipiente Domino, atque excellentissimo Sisennando Rege constituit id sanctum*

Concilium vt Iudæi &c. Et can. 65. *Ex decreto gloriosissimi Principis hoc sanctum elegit Concilium vt Iudæi* &c. Et can. 58. qui immediate præcedit canonem illum 59. à *Suarez* relatum. *De quibus,* ait, *Iudæis cõsultu piissimi, & religiosissimi Domini Sisennandi Regis hoc sanctum decreuit Concilium* &c. Et demum in fine Concilij, *Definitis itaque ijs, quæ superius comprehensa, annuente religiosissimo Principe* &c. Adeo vt mirum sanè mihi videatur, qua fretus fiducia *Suarez* vir tam excellenter doctus, ex illo Concilij Toletani decreto, quod iussu, imperio, & consensu Principis temporalis sancitum est, authoritatem Ecclesiasticam *Principes* abdicandi, eosque suis Dominijs temporalibus priuandi, probare ausus fuerit.

14 Et tametsi de causis fidei, legeue diuina iudicare, id est, quænam propositio de fide tenenda sit, vel quænam actio à Deo prohibita, aut præcepta sit, ad *Reges* non pertineat, cum legis diuinæ custodes, & non interpretes existant, attamen ad eorum spectat officium, cum legis diuinæ, vt diximus, custodes, atque Ecclesiæ

Protectores sint, vt *legibus, & edictis suis iubeant eam fidem teneri, quam Sacerdotes tenendam docent*, [m] & hæreticos, legisque diuinæ contemptores pœnis temporalibus coerceant, atque insuper ad ea decreta morum stabilienda, quæ non vt purè sacerdotalia, sed vt ciuilia, & ad publicam Reipublicæ pacem conducentia ab Episcopis in Concilijs siuè generalibus, siuè Prouincialibus sanciuntur, *Regum* quoq; suffragia, consensum, & authoritatem intervenire nequaquam incongruum est. Quapropter in illa de filijs infidelium similitudine eadem planè disparitas, quæ in præcedenti de coniugibus reperitur, quandoquidem filios baptizatos à parentum infidelium potestate liberari, ne illorum iterum inuoluantur erroribus, non arguit aliquam filiorum in parentes potestatē, sed ius tantùm ad seipsos a peccandi periculo defendendos, at subditos suum *Principem* supremum deponere, argueret authoritatem, eamque supremam in subditis residere. Igitur neque maiori ratione, vt immeritò asserit *Suarez*, neq; simili ratione,

m *Bellarminus lib.1 de Concil. cap.20. & lib.3 de Laicis cap. 19.*

immò nec vlla planè ratione, ex hac, aut illa similitudine rectè concludit *Suarez*, penes Summum Pontificem esse potestatem Principes abdicandi, eosque suis Dominijs, & regnandi iure priuandi. Et nihilominus libenter agnoscimus, gladium esse sub gladio, & vtrumque ad propugnandam, & defendendã Ecclesiam se mutuò iuuare oportere, sed hanc subiectionem gladij temporalis ad spiritualem, seu potestatis ciuilis ad Ecclesiasticam non eo modo intelligimus, quo à *Suarez* hîc accipitur, sed in eo sensu, quem superiùs [n] in hac *Disputatione* de iuramento ad quoddam argumentum à *Suarez* allàtum respondentes declarauimus, vt nimirum hæc subiectio non sit in rebus purè temporalibus, sed in spiritualibus, neque ad pœnam temporalem, sed ad spiritualem præcisè infligendam.

n *Cap.* 3. *sect.* 1. *nu.* 13.

15 *Denique*, quod attinet ad alios titulos, quos *Suarez* affirmat, *se posse explicare, confirmare, ac defendere, ob quos Romanus Pontifex circa temporalia iustis de causis disponere po-*

test; eos tamen non explicat, confirmat, nec defendit, sed Lectorem ad alios Authores, quos tamen ipse non nominat, qui hæc eruditissimè disputarunt, remittit, nos præcipuum titulum, quem inter hos enumerat, qui est translatio Imperij Romani à Græcis ad Germanos (nam reliqui ab ipso relati non adeo efficaces sunt) paulò fusiùs in nostra *Apologia* examinauimus, atque perspicuè commonstrauimus, non esse adhuc à Card. *Bellarmino*, qui cæteris exactiùs hanc rem pertractauit, etiam iuxta ipsius principia, demonstratum, prædictam Romani Imperij translationem sola Romani Pontificis authoritate factam esse, sed consensum, suffragia, atque authoritatem Senatus, populique Romani etiam intercessisse, & proinde nullum sufficiens argumentum ex illa translatione trahi posse ad probandum, esse in Summo Pontifice ex *Christi* institutione potestatem Imperia transferendi, & de Regnis Principum temporalium disponendi, & propterea nos etiam Lectorem, ip-

ſumque *Suarez* ad eum locum remittimus, eum interim obſecrantes, vt ſi veritatis intelligendæ gratia quæſtionem hanc graviſſimam pertractare deſideret, provt *Regi noſtro Sereniſſimo* profitetur, ne eadem argumenta, quæ à me & alijs ſæpiùs confutata ſunt, niſi noſtras etiam Reſponſiones pariter impugnet, iterum ita frigidè inculcare velit.

SEC. 9.

In qua duplex incommodum, quod ex prædictis rationibus à Suarez *allatis conſequitur, commemoratur.*

1 HÆc ſunt omnia argumenta (*Lector erudite*) quæ *Suarez*, affert ad probandum, penes Summum Pontificem eſſe poteſtatem Principes deponendi, eoſque pœnis quibuſcunque etiam temporalibus coercendi,

quod vnicum eſt fundamentum, vt inferiùs videbimus, in quo præcipuæ omnes obiectiones, quibus ipſe *Iuramentum* fidelitatis *lege Regia* ſtabilitũ, tanqnam Catholicæ fidei apertè repugnans, impugnat, potiſſimum fundantur; Quæ eius argumenta ſi valida ſint, hæc duo, præter alia, quæ alibi recenſebo, incommoda ex ijs concludi poſſunt. *Primum* eſt, ſi ex duplici illo titulo, nempe correctionis, & punitionis Principum, atque defenſionis ſubditorum rectè colligit *Suarez* omnem abſolutè, & abſque limitatione Principes caſtigandi, & ſubditos à peccandi periculo liberandi, & conſequenter Principes principatu priuandi, & de omnibus temporalibus diſponendi poteſtatem Sũmo Pontifici à *Christo* Domino conceſſã eſſe, cum talis poteſtas ad ſaluandas animas neceſſaria eſſe ſupponatur, conſequens etiam eſt, Summum Pontificem vires quoque ſufficienres ad talem poteſtatem exequendam à *Christo* Domino accepiſſe, cum actualis Principum depoſitio, atq; è regnis ſuis expulſio, tum ad malos Prin-

cipes corrigendos, tum ad fidelium animas ab æternæ damnationis, eorũ minis, fauoribus, ac potentia probabiliter incurrendæ periculo liberandas magis necessaria existat, quàm sit sola authoritas eos per sententiam merè iuridicam Regnis suis priuandi. Neq; profectò dubitari potest, quin *Christus* Dominus, si id expedire iudicasset, talem efficacem authoritatẽ Summo Pontifici tribuere potuisset, vt quotiescunque impium aliquem Principem anathematis gladio feriret, vel confestim diuina virtute interficeretur, sicut *Ananias* ad S. *Petri* vocem extinctus est, vel Dæmoni traditus ab ipso corporali afflictione vexaretur, sicut *Corinthium* incestuosum à S. *Petro* Satanæ traditum fuisse Scriptura commemorat.

2. *Secundum* incommodum, quod prædicta argumenta à *Suarez* allata euidenter conuincunt, est, concessam quoque esse Summo Pontifici ex *Christi* institutione authoritatem Principes supremos non solùm dominijs, verum etiam vita priuandi. Nam *verba illa Saluatoris*, *Pasce oues*

meas, & *Quodcunque solueris*, sunt *generalia* ait *Suarez*, *indifferentia*, & *indefinita*, *ergo talis potestas coercendi*, *ac puniendi Reges*, *non limitatur*, *aut definitur ad hanc*, *vel illam pœnam*, *sed relinquitur determinanda ad modum pœnæ*, *seu coercitionis per prudentiæ*, & *iustitiæ æquitatem*, *prout supremus Pastor iuxta occasionem*, *vel necessitatem occurrentem iudicauerit conueniens*, & *expediens ouibus*. Enimuero D. *Schulckenius*, seu potiùs ipsemet *Card. Bellarminus* sub *Schulckenij nomine* personatus, quem tametsi ego in mea *Apologia* sæpe sæpiùs vrgebam, vt quid de hac Papali authoritate Principes occidendi sentiret, clarè, & perspicuè declararet, nunquam tamen adeo planis, & apertis verbis sententiam suam explicauit, etiamsi ex quibusdã locis, [a] mens eius non omnino obscurè colligi possit, quin aliquà euasione, & verborum æquiuocatione effugere quadãtenus possit. Nam cum ego sæpiùs, occasione mihi ex Card. *Bellarmini* argumentis oblata, hanc obiectionem de Principibus authoritate Papali occidendis inculcauerim, atque euidenter,

[a] *Præsertim pag.* 413. 488. 489. & 490.

meo quidem iudicio, demonstrauerim, Doctores illos, qui authoritatem Summi Pontificis Principes deponendi tuentur, debere etiam, si consequenter ad sua principia loqui velint, defendere, penes Summum Pontificē esse potestatem *Reges*, ac Principes supremos illis omnibus vijs, secretis, aut publicis occidendi, quibus Principes temporales subditos suos interficere licitè possunt, quandoquidem iuxta hanc doctrinam, quæ potestatem spiritualem *Reges* deponendi, eosque pœnis temporalibus castigandi tuetur, Supremus Ecclesiæ Pastor tam plenam in ordine ad bonum spirituale super *Reges*, ac Principes potestatem habeat, quanta Principes ipsi, supremi Reipublicæ ciuilis Domini, in ordine ad bonum temporale in subditos suos authoritate pollent, nunquā tamen ad hanc rationem, seu potiùs demonstrationem apertè, & directè respondere voluit, sed illam leuiter, non tamen absq; calumnia, pace eius dixerim, semper pertransiuit.

3. Nam imprimis tritum illud S. *Leonis* pronunciatum, *Ecclesiastica*

lenitas refugit cruentas vltiones, quod *Doctor* iste toties inculcans, sufficiens ad prædictam obiectionem responsũ esse Lectori persuadere cupit, cum æquiuocum sit, neque in quo sensu ab ipso accipiatur explicatum, non satis sententiam suam declarat, aut quæstioni propositæ lucem affert, quin potiùs difficultati caliginem offundit. Vel enim prædicta S. *Leonis* propositio ita intelligi potest, quod licitum non sit viris Ecclesiasticis, quà tales, seu quod idem est, ex potestate Ecclesiastica illis ex lege *Christi* communicata quenquam interficere, & hic sensus doctrinæ à *Suarez* traditæ, & à *Schulckenio* insinuatæ de Principibus authoritate Papali occidendis planè aduersatur: vel *secundò* intelligi potest, hanc sanguinis effusionem lege duntaxat Ecclesiastica, in qua *Papa* dispensare potest, viris Ecclesiasticis prohibitam esse; & si hoc tantùm velit Card. *Bellarminus*, profectò ipse hanc S. *Leonis* sententiam toties inculcans, argumentum à me propositum non soluit, sed illud potiùs apertissimè confirmat. Deinde, *Doctor* iste, sicut

per totum ferme librum suo nomine evulgatum, non solum verba mea, eorumque sensum pessimè calumniatur, verum etiam synceram animi mei erga *Sedem Apostolicam* affectionem sinistrè interpretatur, ita etiam parum religiosè, ne dicam Chistianè, hoc ipsum quod iam proposui argumentum, in pessimum sensum detorquet, atque affirmat, illud ad Principibus seculi terrorem incutiendum, & Pontificiæ potestati inuidiam conflandã, à me adductum esse, cum tamen ego, testis est mihi Deus, non aliqua in *Sedẽ Apostolicam*, quam omni veneratione vti matrem prosequor, indignatione motus, vt *Schulckenius*, qui renes, & corda mea scrutari prætendit, falsissimè criminatur, sed gratia tantùm veritatis indagandæ illud proposuerim. Sunt potiùs isti *Doctores*, qui tam scandalosam, desperatam, nouã, atq; antiquis Patribus incognitam doctrinam procudentes, *Sedem Apostolicam*, & Pontificiam potestatẽ Principibus Christianis odiosam, & formidandã reddere nituntur, & nos hâs sanguinarias suspiciones è mentibus Princi-
 pum

pum eripere totis viribus conamur. Spiritualis supremi Pastoris authoritas à Saluatore generis humani in salutē, non in cædes Principum instituta est.

4. Veruntamen *Suarez* vim huius consequentiæ satis perspiciens, magis candidè, & sincerè absque tot verborum integumentis procedit; atque disertis verbis affirmat, penes Summum Pontificem non solùm esse potestatem Principes occidendi, verùm etiam alijs, vt eos interficiant, licentiam impertiendi. Nam de authoritate Summi Pontificis Principes deponendi loquens ita scribit: [b] *Post sententiam condemnatoriam Regis de Regni priuatione latam per legitimam potestatem, vel quod perinde est, post sententiam declaratoriam criminis habentis talem pœnam ipso iure impositam, potest quidem is, qui sententiam tulit, vel cui ipse commiserit, Regem priuare Regno, etiam illum interficiendo, si aliter non potuerit, vel si iusta sententia ad hanc etiam pœnam extendatur.* Et paulò inferiùs ita ait. *Eodemque modo si Papa Regem deponat, ab illis tantùm poterit expelli, vel inter-*

b *Lib. 6. cap. 4. num:* 10.

fici, quibus ipse id commiserit. Quod si nulli executionem imperet, pertinebit ad legitimum in Regno successorem, vel si nullus inuentus fuerit, ad Regnum ipsum spectabit, dummodo sit Catholicum. Et paulò post [c], *hanc doctrinam esse veram & certam affirmare non reformidat.*

c Num. 20.

5. Nihilominus hæc doctrina à *Suarez* tradita non solum est incerta, verùm etiam noua est, & scandalosa, atque è Christianorum scholis, atque animis penitus exterminanda. Esse incertam ex supradictis satis perspicuum est. Si enim doctrina de potestate Summi Pontificis Principes deponendi, & pœnas temporales coercitiuè infligendi incerta est, adeo vt plerique Doctores, vt *Almainus* ait, existiment, *non posse potestatem Ecclesiasticam ex diuina institutione pœnam ciuilem infligere, imò nec incarcerare, sed ad solam pœnam spiritualem extendi, & de hac recertent Scholastici, & adhuc sub iudice lis sit*, inquit Trithemius, *an Papa possit Imperatorem deponere*, quod etiam iam recens illud *Parliamenti Parisiensis* decretum aduersùs librum istum *Suarez* satis confirmat,

multo magis incertum erit, posse spiritualem Ecclesiæ Pastorem, ex Christi institutione, Principes temporales, qui proximè sub Deo gladium portant, gladio interimere, & sanguinis effusione cruentas vltiones, quas *ecclesiastica lenitas adeo refugit*, exercere. Esse doctrinam nouam nimis manifestum est, cum ante infœlix istud sæculum nunquam in Ecclesia Christi, aut prædicata, aut audita fuerit, & iam etiam vix vnus, aut alter reperitur, qui eam scriptis commendare non pertimescat. Et vtrùm doctrina hæc, quæ non solùm Pontifici, verùm proximo etiam in Regno Successori potestatem facit Principem per *Papam* depositum vel per se, vel per priuatum quemlibet interficiendi, non solum noua, sed & scandalosa sit necne, prudentis cuiuscunque iudicio discutiendum relinquo.

6 *Deinde*, si Summus Pontifex cuilibet facultatem concedere potest, vt Principem a se depositum interficiat, vti *Suarez* audacter nimiùm affirmat, non video, quomodo ex eius principijs non sequatur, posse Sum-

mum Pontificem cuilibet etiam priuato licentiam tribuere, vt talem Principem ſecretò, ſeu per inſidias e medio tollat, priuſquam depoſitus fuerit, ſi forſan Pontifex iudicauerit, Principem tali depoſitionis ſententia emendatum non fore, quin potiùs ad futuras omnes proditiones præcauendas, atque ad ſui occiſionem vijs omnibus, prout debet, impediendam magis cautum, & vigilantem eſſe futurum. Neque enim ex mente *Suarez* neceſſe eſt, vt Summus Pontifex ex Rege non Regem, ſeu ex perſona publica priuatam efficiat, priuſquam ipſum interficiendi poteſtatem habeat, cum iuxta eius doctrinam Rex Chriſtianus non ſolùm quà Chriſtianus, ſed etiam quà Rex Chriſtianus, ſubditus ſit poteſtati Summi Pontificis corrigendi atque puniendi, & *ad ipſum ſpectet decernere, & determinare pœnam conuenientem iuxta occaſionem, vel neceſſitatem occurrentem, prout prudentiæ, & iuſticiæ magis expediens videbitur, quandoquidem Chriſtus Dominus non limitauit eius poteſtatem coercendi, & propterea neque a nobis, neque ab vllo*

Principe Christiano, ait *Suarez*, *limitari debet*.

7 *Præterea*, hæc doctrina apertam, meo quidem iudicio, viam parat, ad Reges, & Principes supremos non solùm cum expressa, verùm etiam cum tacita, implicita, atque præsumpta Summi Pontificis licentia occidendendos, cum meritò præsumi possit, talem occisionem, quæ tam magni spiritualis commodi causa erit, Summo Pontifici vel fore acceptam, vel certè non debere esse ingratam. Quam consequentiam tametsi *Suarez*, qui consequentis absurditatem optimè perspexit, non admittat (*nam Iudex* inquit, [d] *condemnans priuatum hæreticum, vel malefactorem, non statim facit omnibus facultatem in illum animaduertendi, ergo nec Respublica, vel Papa Regem hæreticum, vel aliter tyrannicum condemnans omnibus talem licentiam concedit etiam tacitè, vel implicite. Nulla enim iusta ratione potest præsumi magis hæc licentia contra Principem, quam contra alios; nam semper est necessaria prudentia, & iustus modus in ipsa exequutione, & maius periculum est turba-*

d *Lib.6.ca.4. Num.12.*

tionis, & excessus in coactione personæ Principis, aut Regis, quàm cæterorum) Hæc tamen disparitas a *Suarez* allata quantumuis, vt satis commoda admitti possit, si loquamur de occisione Principis, quatenus eius occisio est actus iusticiæ vindicatiuæ, & pæna pro delicto Principi imposita, attamen si sermo sit de occisione Principis, quatenus eius occisio est defensio multarum millium animarum ab æternæ damationis periculo, neque satis apta, neque eius principijs satis consona est.

[e] *Sect.6.*

8 *Suarez* enim, vt superiùs [e] vidimus, ob duplicem rationem, seu titulum, existimat, esse in Summo Pontifice potestatem Reges, suis Regnis, atque etiam vita priuandi. Primus est propter Reges ipsos, ad eos, si peruersi sint, corrigendos, & emendandos, & si emendari nolint, dignè etiam puniendos; alter est propter populos illis subiectos, ad eos ab iniqui Principis tyrannide defendendos, & ab æternæ damnationis periculo liberandos. Quæ etiam eius doctrina publicis latronibus, & assasinis, qui cum capi

non possint, extremo capitis supplicio per sententiam Iudicis adiudicantur, rectissime applicari potest. Isti enim, tametsi a nemine, cui Iudex specialem facultatem non concedit, interfici queant, quatenus eorum occisio est actus Iustitiæ vindicatiuæ, & punitio scelerum, quæ patrarunt, cum exequutio iustitiæ publica tantùm auctoritate fieri debeat; quatenus tamen eorum occisio est defensio tot virorum innocentium a cruentis istorum latrocinijs, meritò sanè præsumi potest, tacitam saltem licentiam cuilibet a Principe concessam esse ad tales latrones, si alioquin comprehendi non possint, & adhuc in suis latrocinijs, perseuerent, quauis arte, aut stratagemate occidendos, vt ita innocens populus ab immanibus eorum grassationibus liberetur. Pari modo cum *Suarez* affirmet, Principes temporales etiam in temporalibus, & quoad pænas temporales Summo Pontifici subiectos esse, & verisimile etiam sit sola morte Principis hæretici, & qui subditos ad hæresim pertrahere studet, infinita ferme animarum millia

ex eternæ damnationis periculo eripienda fore,cur iuxta doctrinam *Suarez* ratione huius tituli ab eo confícti meritò etiam præsumi non potest, Summum Pontificem talem subditorum liberationem,si secretò absque maiori perturbatione, & sanguinis effusione fieri potest, approbaturum esse? Immo cur ex mente *Suarez* meritò præsumi non potest, teneri Summum *Pontificem* expressam licentiam tribuere, quin & preceptum imponere priuatis hominibus, vt talem *Principem* si commode possint, interficiant, ex quo totum regnum ab eius tyrannide liberari queat, cum quilibet priuatus publicum totius Regni bonum, & communem tot millium animarum salutem priuato suo commodo, & vitæ etiam temporali anteponere obligetur?

9 Iam vtrum istæ collectiones, quæ ex doctrina a *Suarez* tradita probabliliter deduci possunt, & consequenter ipsamet doctrina, ex qua sequũtur,sint impiæ,absurdæ,scandalosæ, & ab omnibus explodendæ necne, apud prudentem lectorem iudicium

esto. Et vtrum *Reges*, ac *Principes* temporales aduersus tam nouam, desperatam, & prioribus seculis incognitam doctrinam totis viribus sese opponere iure non debeant, ex qua ipsorum vitæ indiscreto cuiuslibet zelo, qui meritò prætendere potest, Summum *Pontificem* talem violentam in Regem hæreticum impetitionem vel de facto approbare, vel ad approbandum obligari, expositæ sint, viro cuilibet sensato iudicandum relinquo. Verùm, si discrimen inter *Principes*, & subditos ritè perpendamus, hæc & similia incommoda facilimè deuitabimus. *Reges* enim, & *Principes*, cum in temporalibus supremi sint, & solo Deo minores ab ipso solo, quem in temporalibus Superiorem recognoscunt, pænis temporalibus castigari possunt, in quo sensu tota antiquitas illud *Regij Prophetæ* dictum *Tibi soli peccaui* [f], vnanimi consensu intellexit. Defendi etiam debent subditi ab iniqui Regis tam temporali, quàm spirituali oppressione, sed per vias licitas & a Deo ordinatas. Hęc est autem vera, antiqua, & indubitata doctrina,

f *Psal*: 50.

g 1 Reg. 26. a *Regio* etiam *vate* prædicata, g *Ne interficias illum, quis enim extendet manus suas in Cristum Domini, & innocens erit?* Atque hæc de prima huius *Apendicis* parte, dicta sufficiant.

* * *

Pars Secunda:

In qua vniuerſa argumenta, *quæ* SVAREZ ad *Iuramentum fidelitatis* impugnandum congerit, breuiter diſcutiuntur.

Sec. 1.

Quæ ſit obedientia ſpiritualis, & quæ ciuilis, declaratur, & profeſsio fidelitatis, quam tredecim Sacerdotes Angli *olim* Reginæ Elizabethæ *exhibuerunt, ad verbum recenſetur.*

1 HActenus præcipuum *Suarez* fundamentum, authoritatem nempè Summi *Pontificis Principes* deponendi, & ſubditos ab eorum fidelitate abſoluendi, in quo ipſe potiſſima omnia, quæ contra *fide-*

litatis Iuramentum congerit argumenta, solummodò fundat, accuratè satis examinauimus; reliquum iam est, vt singulas obiectiones in particulari, quas ipse affert ad probandum, *Iuramentum* istud esse ex se illicitum, & non solam temporalis obedientiæ professionem, verùm etiam apertam, vt *Suarez* prætendit, Ecclesiasticæ, & spiritualis obedientiæ abnegationem, si non expresse, saltem tectè, & tacitè in se complecti, speciatim discutiamus.

2 Sed inprimis obseruare te oportet (*Lector studiose*) quòd sicut duę tantùm, vt alias [a] obseruauimus, reperiuntur potestates, quibus principaliter mundus hic regitur, actibus proprijs, & dignitatibus distinctæ, authoritas nempe sacra Pontificum à Christo Domino instituta, & Principatus politicus ab ipso Deo per legem naturæ sanctissimè ordinatus, & sicut duæ tantùm inter homines reperiuntur Respublicæ à se inuicem natura, seu formaliter, tametsi non semper supposito, seu subiecto distinctæ, *Ecclesiastica*, quę Christi Ecclesia nuncupatur,

[a] *In Apolog. ad Lectorem in principio.*

Pars 2. cupatur,

cupatur,quæque Ecclesiastica,seu spirituali spiritualium Pastorum, Episcoporum, & Romani præsertim Pontificis authoritate gubernatur, cuius authoritatis finis potissimus est, vt animas ad cœlorum regna perducat, quæque proinde pro formali potestatis suæ directiuæ obiecto virtutem habet, & vitium, quibus homines æternam beatitudinem, aut damnationem promerentur; & *politica* seu temporalis Respublica, quæ ciuili Imperatorum, Regum, & supremorum Principum, aut communitatum authoritate regitur, cuius finis potissimus est, vt pax publica in ciuili hominum societate exteriùs custodiatur, queque proinde pro formali suæ potestatis directiuę obiecto publicā habet pacem, aut pacis publicę perturbationem, & iustitiam, aut iniustitiam humanam, quibus humana societas conseruatur, aut perturbatur; Ita vniuersę hominum actiones ad vnam ex istis potestatibus & Rebuspublicis, cui subiectæ sunt, à qua dirigi, emendari, puniri, aut præmiari debent, reuocantur, & pertinere noscuntur: Et

similiter omnis hominum obedientia, seu subiectio, vel ad *Ecclesiasticam*, seu spiritualem, vel ad *ciuilem*, seu temporalem obedientiam necessariò reducenda est, & pertinere debet. Quo fit, vt si talis, aut talis obedientia *Ecclesiastica* non sit, *ciuilis* esse debeat, & si *ciuilis* non sit, *Ecclesiastica* procul dubio erit, cum omnis obedientia, aut *ecclesiastica* sit, aut *ciuilis*, & si vna sit, eodem respectu altera esse nequeat, quandoquidem istę duæ obedientiæ formaliter, & ex suis naturis à se inuicem distinctæ sint, tametsi in eodem subiecto eas simul reperiri nequaquam inconueniens sit.

3 *Spiritualis* obedientia illa est, quæ spirituali duntaxat spiritualium Ecclesię Pastorum, & pręsertim Summi Pontificis authoritati debetur: *Ciuilis* obedientia illa est, quæ ad ciuilem Regum, Principum, & supremorum Potentatuum temporalium, qui in rebus meré temporalibus nullum superiorem præter DEVM recognoscunt, authoritatem solummodò spectat. Quapropter vt sciamus, quænam obedientia sit *spiritualis*, & spiri-

tualibus Paſtoribus debita, & quænâ ſit *ciuilis*, & temporalibus Principibus exhibenda, oportet etiam cognoſcamus, quænam ſpiritualis authoritas ſupremo præſertim animarum Paſtori ſit propria, & quænam temporalis poteſtas Principibus temporalibus duntaxat conveniat. Illa tantùm ſpiritualis authoritas ad Summum Pontificē pertinet, quæ à Chriſto Domino *S. Petro*, eiuſque Succeſſoribus, vt locū, & vices eius in ſpiritualibus gerunt, conceſſa eſt, & proinde quæcunque alia authoritas, quam Chriſtus *S. Petro*, eiuſque Succeſſoribus non communicauit, *ciuilis* eſt, & ad Principes temporales poteſtate temporali præditos tantùmmodò ſpectans. Igitur eadem certitudine, qua credimus, Chriſtum Dominum *S. Petro*, eiuſque Succeſſoribus, vt vices ſpiritualis Paſtoris gerunt, talem authoritatem conceſſiſſe, eadem etiam cettitudine credimus, talem authoritatem eſſe ſpiritualem, vel temporalem. Quo fit, vt, ſi *de fide certùm* ſit, Chriſtum Dominum dediſſe *S. Petro* eiuſque Succeſſoribus authoritatē Principes de-

ponendi, de rebus omnibus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi, atque pœnas temporales coercitiuè infligendi, *de fide* etiam *certum* ſit, hanc authoritatem eſſe ſpiritualem (dummodo ſupponamus, quod *Card: Bellarminus* ſupponit, nullam authoritatem præter ſpiritualem *S. Petro* ex Chriſti inſtitutione conceſſam eſſe): Sin autem probabile admodum ſit, talem authoritatē non eſſe à Chriſto Domino *S. Petro*, eiuſque Succeſſoribus communicatā, probabile etiam admodum erit, talem authoritatem, aut obedientiam, quæ illi reſpondet, non eſſe *ſpiritualē*, ſed *temporalem*.

4. Atque hinc facile erit elicere verum illius æquiuocæ propoſitionis ſenſum, quam *Suarez* paulò inferiùs adducit, [b] nempe, *quod tractare de poteſtate Papæ, & illam iurandam, vel abiurandam proponere, non pertinet ad poteſtatem ciuilem, aut temporalem Regis, nec ad obedientiam ciuilem illi debitam:* Bifariam enim prædicta propoſitio intelligi poteſt, *primò*, quòd non pertinet ad poteſtatem ciuilem, aut

b *Lib: 6. ca: 2. num. 4.*

temporalem Regis, tractare de potestate Papæ eo modo vt certò, ac infallibiliter definiat, quænam potestas ex lege Christi Summo Pontifici concessa, vel non concessa sit, aut illam authoritatem, quam Summo Pontifici conuenire *certò*, & *de fide* constat, abiurandã, vel vt *probabliter* tantùm, & non vt *certò* illi conuenientem iurandam proponere, & in hoc sensu vera est; cùm ad Reges temporales non pertineat decernere, quænam authoritas S. *Petro*, eiusque Successoribus à *Christo Domino* collata sit, neque quemquam compellere, vt doctrinam illam, quæ *de fide certa* est, non esse *certam*, vel quæ *certa* non est, esse *de fide certam*, iureiurando affirmet. Vel *secnndò* intelligi potest, quòd non pertineat ad ciuilem *Regis* potestatem tractare de potestate Papæ, quæ non potestas spiritualis Papæ, sed temporalis Regum potestas à Doctoribus Catholicis *probabiliter* iudicatur, & illam vt probabilem iurandam proponere, quamdiu *probabilis* manet, & in hoc sensu propositio illa falsa est; nam alioquin non spectaret ad

ciuilem Regum potestatem tractare de vlla potestate, quam Papa in Reges sibi arrogaret, vel quam pauci quidã Catholici contra communem cæterorum Catholicorum sententiam Summo Pontifici attribuerent, & consequenter non posset Rex temporalis subditos compellere, vt iureiurando interposito profiteantur, atque agnoscant, Summum Pontificem non esse Monarchã, seu directum in temporalibus totius Christiani orbis Dominũ, ac proinde sui etiam Regni, cum tamen Reges supremi, & solo Deo minores nullum in rebus temporalibus Superiorem præter Deum recognoscant, & ipsemet Card. *Bellarminus* hoc directum in temporalibus dominium, quod *Canonistæ* Summo Pontifici attribuunt, tanquam humanum inuentum, & non à Deo institutum totis viribus impugnet.

2. Neq; Reges temporales, quando de potestate Summi Pontificis, quæ non reuera ad Summum Pontificem pertinere, sed Regibus temporalibus duntaxat conuenire *probabili-*

ter censetur, *tractant*, atque adeò subditos suos compellunt, vt iureiurando profiteanter, talem authoritatem illis, & non Summo Pontifici competere, *tractant* de potestate Papæ, vt spiritualis potestas reputatur, sed vt temporalis potestas, ac proinde Principibus temporalibus solùm conueniens à Catholicis iudicatur. Potest enim Rex temporalis Regio suo iure, quod in temporalibus habet, *tractare*, disputare, atque vijs licitis, & potestati ciuili accommodatis defendere illam suam authoritatem, quam non spiritualem, sed temporalem esse authoritatem *Doctores* Catholici *probabiliter* existimant. Simili fermè modo penes Reges temporales est potestas prohibendi, atque puniendi crimina spiritualia, non vt spiritualia, sed vt iniuriæ temporales sunt, & ciuilis Reipublicæ tranquillitatem iniuriosè perturbant. Atque ita *hæreses*, & periuria, quæ talia esse manifestè noscuntur, non vt spiritualia, sed vt temporalia crimina sunt, pœnis temporalibus castigare poterūt, vt ex doctrina *Soti*, & *Bannez* in hac nostra

Sec. 1. de

de Iuramento fidelitatis *Disputatione* superiùs [r] comprobauimus. Et eandem ob causam Subditos suos sub eisdem pœnis compellere possunt, vt propositiones hæreticas, quas tales esse *indubitatè* constat, abiurent, si talis abiuratio ad pacem publicam in ciuili societate seruandam necessaria esse *verè probabiliter* à Doctoribus Catholicis reputabitur. Sed certò, & infallibiliter definire quænam propositio sit hæretica, atque determinare, quænam authoritas, si in controuersiam vocetur, sit spiritualis, & ad Pastores Ecclesiasticos solummodò spectans, potestatis politicæ limites transcendit. Mitto iam examinare, vtrùm ad ciuilem Regum Christianorum potestatem spectet, crimina spiritualia non tantùm vt temporales iniurię sunt, & ciuilis Reipublicæ tranquillitati absunt, sed vt crimina etiam sunt spiritualia, & spirituali Ecclesiæ Christi, cuius à Deo Protectores constitu-sunt, bono incommodant, prohibere, & pœnis temporalibus castigare, cum illorum etiam officium sit *Ecclesiam protegere, atque hæreticos, & schismati-*

r Cap. 7. sec. 2. nu. 17.

eos extirpare, vt ipsemet Card. *Bellarminus* disertis verbis fatetur [d]. Vide quæ superiùs in nostra *Appēdice* parte 1. sect. 7. num. 16. & in nostra *Disputatione* cap. 7. sec. 2. nu. 15. & deinceps à nobis dicta sunt.

d *Lib: 5: de Ro: Pont: cap: 7: in 5a: ratione.*

6. *Secundo*, si illam protestationē, professionem, atque agnitionem, quā *tredecim* illi venerandi, docti, ac pij *Sacerdotes Angli* à me superiùs [e] recensiti, (quorum numero ter tredecim ad minùs alios Sacerdotes, si tunc *Londini* præsentes fuissent, sese adiungere voluisse satis hîc apud nostrates notū est) de sua erga *Reginam Elizabetham* fidelitate, die vltimo *Ianuarij* 1502. *publico* quodam *instrumento* exhibuerunt, diligenter obseruare volueris (*Lector studiose*) facilè perspicies, magnam inter illam fidelitatis professionem, & istud fidelitatis Iuramentū similitudinem, & connexionē reperiri, & potissimas fermè omnes obiectiones, quas *Suarez* aduersùs istud *Iuramentum* conficit, contra dictam fidelitatis professionem ab eo adduci pari modo posse. Et nihilominus eruditi illi, & pij Sacerdotes

e *Parte 1: sec: 1: nu: 8: & in Disputat: cap: 3: sec: 3: nu: 19:*

nullatenus dubitabãt, prout ipsi in di-cto *instrumento* disertis verbis affirmant, quin professio illius fidelitatis, quam *Regina Elzabetha* tunc temporis *excommunicata*, & per sententiam *Py* quinti *regnandi iure priuata* præstiterunt, cum spirituali illa authoritate, iurisdictione, atque obedientia, quæ *Summo Pontifici* ex lege *Christi* debetur, rectè consistere possit. Et quoniam non meæ tantùm assertioni, sed expressis illorum verbis fidem adhibere te vellem, ipsam eorum fidelitatis professiònem, cum autographo Anglicano concordantem transcribendam, et ante oculos tuos ponendam esse duxi, qui his verbis continetur.

Cum Serenissima Domina *nostra dignata sit (quod nupero Edicto ostendit) nostram Sacerdotum Secularium, qui natiui sumus* Maiestatis *suæ subditi, fidelitatem, & obsequium aliqua ex parte recognoscere: cumque Ea pro Regia sua clementia locupletem gratiæ erga nos, & misericordiæ alicuius Arrham nobis (qui post susceptum à primo Regni eius Anno Sacerdotij gradum in patriam reuersi, mortis*

ſupplicio è Regni legibus ſumus omnes obnoxij) dederit: Cumque Eadem contenta ſyncera tantùm obſequij noſtri profeſſione, quæ Maieſtatem ſuam de noſtra in Regiam eius perſonam, Coronam, Statum, & dignitatem, fide ſecuram reddat, nihil requirat ampliùs: Nos, quorum ſubſcripta extant nomina, ad Maieſtatis ſuæ *pedes humillimè abiecti, ob hæc tanta benificia* Celſitudini ſuæ *nos impenſiſſimè devinctos agnoſcimus, eamque* Maieſtati ſuæ *hac in re fiduciam, & ſatisfactionem parati ſumus lubentiſſimè dare, quã Principibus ſuis Catholici Sacerdotes quilibet poſſunt, vel debent polliceri.*

2 Primò *itaque agnoſcimus, & confitemur,* Sereniſſimæ Reginæ Maieſtatem *non minùs plena authoritate, & ſuperioritate, in nos reliquoſque omnes huius Regni ſubditos, quàm vnquam è Maioribus ſuis quemlibet, dominari. Porrò item profitemur, nos libenter paratos eſſe in omnibus caſibus, & conditionibus, eius imperio obſequi, quatenus Chriſtiani vnquam Sacerdotes, vel in hoc Regno, vel in vlla alia Chriſtiani orbis regione ex lege diuina, & Chriſtiana Religione temporalibus ſuis Principibus parere tenebantur:*

veluti tributum, cæteraque omnia debita Coronæ vectigaliia soluere; eius legibus, Magistratibusque in omnibus causis Ciuilibus obedire: Deum precari, vt Ea *auspicatum, & tranquillum imperium in hac vita (pro sacrosancta Numinis voluntate) & post hanc vitam æternam beatitudinem consequatur. Atque hanc nostram recognitionem ita solidè diuino verbo fundatam existimamus, vt nulla authoritas, nulla causa, aut causæ prætextus vllam iustam, & idoneam nobis, magis quam Protestanti cuilibet, facultatem possit, aut debeat præstare, vt* Maiestati suæ *in re vlla ciuili, aut temporali obsequium detrectemus.*

2 Secundò, *cum per præteritos hosce annos plurimæ in* Maiestatis suæ *personam, & statum coniurationes sint initæ, multique pro inuadendis* Maiestatis suæ *dominiys, sub nouis quibusdam prætextibus, & consilys Religionis Catholicæ armis restituendæ, hostiles conatus sint suscepti, (res cæteris orbis partibus, & præcipuè, atque unicè præ reliquis, qui a religione, & obedientia* Sedis Apostolicæ, *non minùs, quàm* Eadem ipsa, *Principes discesserunt, in* Maiestatem suam, *& eius*

Regna tentata) quibus violentis incœptis sua Maiestas, *singulari alioqui erga Subditos suos clementia, magnopere permota sit, vt in Catholicos (qui* Apostolicæ Sedi *in re fidei, & Religionis cõiuncti facilè suspecti sint hisce conspirationibus, & incursionibus fauere) leges acerbiores & ferret, & curaret exequendas, quàm, nisi hæc facta hostilia, & bella interuenissent, vnquam forsan latæ, aut cogitatæ fuissent: Nos, vt* Maiestati suæ *fidelitatem nostram, etiam in hac particulari causa probemus, syncere profitemur, & hoc publico facto, vniuerso Orbi Christiano testatum facimus, nos in hisce casibus Conspirationum, Machinationum, in* Maiestatis suæ *vitam, inuasionum, & conatuum quorcumcunque hostilium, qui a forinseco quouis Præsule, Principe, vel potentatu quocunque, siue coniunctim, siue separatim, ad perturbationem, vel exitium* Maiestatis suæ *personæ, status, Regnorum, aut dominiorum, sub fuco, specie, prætextu, vel consilio Religionis Catholicæ Romanæ in Anglia, aut Hibernia restituendæ, fieri poterunt,* Maiestatis suæ *personam, statum, Regna, & dominia, ab omnibus illiusmodi hostilibus & vio-*

lentis incursibus, & iniurijs defensuros. Sed & omnes conspirationes, aut consilia, quæ a Prælato, Principe, aut Potentatu quocunque contra Maiestatis suæ *personam, aut Dominia quauis de causa, vt supra est dictum, iniri intelligemus, non solùm ipsos tum detecturos, palamque facturos, tum pro viribus eisdem restituturos, sed & Catholicis omnibus, vt idem faciant, quantum in nobis erit, vehementer authores futuros.*

3 Tertiò, *si post aliquam Excommunicationis sententiam, in* Maiestatem suam *declaratam, vel declarandam, vel ante eiusmodi coniurationes, inuasiones, aut hostiles conatus, de quibus supra, faciendos,* Papa *etiam omnes intra* Maiestatis suæ *dominia natos excommunicaret, qui à* Maiestatis suæ, *eiusq; dominiorum defensione, vt supra, non recederet, & huiusmodi conspiratorum, aut inuasorum partibus in his, & similibus quibuscunq; casibus, se non adiungerent; Nos in his, omnibusq; istiusmodi casibus, nosmetipsos, Laicosq; omnes Catholicos, qui* Maiestatis suæ *ditionum sunt Natiui, conscientiæ lege minimè tenemus esse astrictos, vt huic. aut huius generis Censuræ*

Pars I. *cuilibet*

cuilibet pareamus; sed non obstante quauis authoritate, vel Excommunicationis quacunque sententia, aut denunciata, aut denuncianda, vt supra, Principem & Patriam nostram, quod officij nostri existimamus esse, defendemus, omnemq; in causis temporalibus Maiestati suæ *obedientiam præstabimus.*

4 *Quoniam verò certissimum est, dum nos Christiana hac nostra, & syncera protestatione, pium nostrum in* Maiestatem suam *affectum, & fidelitatem* Ei *probare nitimur, non defuturos, qui legitimum factum nostrum damnare, & in peiorem interpretari partem velint, imò & multis iniquis sermonibus & calumnijs, apud Orbem Christianum, præcipuè verò apud* Sanctitatem suam *facta nostra traducere, in multò maximum existimationum, & personarum nostrarum præiudicium, & noxam, nisi eorum hac in re conatibus maturè occurramus,* Maiestatem suam *supplices obtestamur, vt in hac nostra recognitione, dum quæ sunt Cæsaris* Celsitudini suæ *reddimus, cum* Eius *benigna venia nobis simul liceat, maledicentiam, & calumnias vitandi causa, simili etiam actu publico palam testari, nos*

Maiestati suæ *debitum obsequium agnoscendo, à nulla Christiani illius officij lege recedere, quod* Supremo Pastori *spirituali debemus.*

5. *Quamobrem agnoscimus, & confitemur*, Episcopum Romanum S. Petri *in ea Sede successorem esse, neque minùs, non tamen magis, amplam in nos, reliquosque Christianos authoritatem, aut iurisdictionē obtinere, quàm ex concessu, & mandato Christi* Saluatoris nostri *Apostolus ille habuerit; nosque* Sanctitati eius, *quatenus ex diuina lege tenemur morem gessuros; quod cum obsequio nostro, quale suprà professi sumus, in* Principem nostram *temporalem, non dubitamus, quin rectè possit consistere. vt enim* Maiestatis suæ, *patriæque nostræ tuendæ causa, paratissimi sumus sanguinē nostrū profundere, ita etiam constitutum habemus vita potiùs cedere, quàm Catholicæ Christi Ecclesiæ legitimam authoritatem violare.*

Gulielmus Bishop.	*Robert:* Drury.
Joan: Colleton.	*Anton:* Champney.
Joan: Mush.	*Ioan:* Iackson.
Robert: Charnock.	*Francis* Barneby.
Joan: Bosseuile.	*Oswald:* Needham.
Anton: Hebborne.	*Richard:* Button.
Roger: Cadwallader	

SEC. 2.

SEC. 2.

Iuramentum à Suarez *in quatuor partes diuiditur, & prima obiectio contra illa verba,* Supremus Dominus noster Rex Iacobus, *diluitur.*

1 HIs obseruatis, *Suarez* in sexto, & vltimo suo libro præcipuas omnes Iuramenti clausulas examinat; & postquam in *primo* capite verum controuersiæ statum, vt supra diximus, proposuerat, in capite *secundo* totum Iuramentum in quatuor partes, seu paragraphos ita partitur, vt *prima* incipiat à principio Iuramenti vsque ad illa verba, *Item iuro* &c. *secunda* vsque ad illa verba, *Et praeterea iuro* &c. *tertia* ad illa verba, *& vlterius credo* &c. *quarta* reliquas omnes clausulas vsque ad finem comprehendit.

2. Obijcit igitur *Suarez* primò, [a] contra illa verba: [*Supremus Domi-* a *Lib.6. cap.2. num.2.*

nus noster Rex Iacobus] &c. *quod licet hæc verba sincerè proposita, & intellecta expresse nihil aliud, quàm dominij, & Regni temporalis professionem continere videantur, nihilominus in verbis illis,* [supremus Dominus noster Rex] *virus lateat. Nam iuxta intentionem loquentis ex alia formula Iurandi nunquam retractata, & ex publica eius professione, & scriptis satis cognita, & iuxta vulgarem, & receptum in illo regno sensum, particula,* [supremus Dominus] *significat esse supremum simpliciter tam in spiritualibus, quàm in temporalibus: supremum, inquam, positiuè in suo Regno, quia est supra omnes tam Laicos quàm Ecclesiasticos tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, & negatiuè respectu totius orbis, seu Ecclesiæ, quia nullam in ea recognoscit superiorem. Cum ergò in ipsa forma Iuramenti cogatur omnis, qui iurat, illo modo recognoscere Regem,* vt supremum Dominum, *tacitè cogitur confiteri Primatum eius supremum in magna Britannia, & Hibernia, & exemptionem eius ab omni superiori potestate, & consequenter tacitè abiurare cogitur supremam spiritualem Pontificis pote-*

ſtatem. Sic ergò in illa ſola particula, [ſupremus Dominus noſter] *aliquod vltra obedientiam ciuilem, ac temporalē continetur.*

3. Sed huic obiectioni [b] ſuperiùs abunde ſatisfecimus, cùm eadem prorſus ſit cum illa, quam *Gretzerus* vrget. Nam neque vulgaris, & receptus in Anglia horum verborum, *Our Soueraigne Lord, ſupremus Dominus noſter*, ſenſus eſt, quod ſit *ſupremus* ſimpliciter in omnibus cauſis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, neque *Rex noſter ſereniſſimus*, vt [c] alibi fusè comprobauimus, ea, vti *Suarez* comminiſcitur, in hoc ſenſu intelligit, neque ipſemet *Suarez*, ſi linguam Anglicanam calluiſſet, hoc argumentum adeò friuolum obijcere voluiſſet: cùm iuxta noſtrum loquendi morem magnum inter hæc duo vocabula, *Soueraigne*, & *Supreme*, diſcrimen conſtituamus, tametſi vtramque vocem eodem Latino nomine [*Supremus*] rectè exprimamus. Nam vox hæc [*Soueraigne*] & *Rex*, ſeu *Princeps* abſolutus apud nos quaſi pro Synonimis, & nominibus eiuſdem ſignifica-

b *In diſputat. cap. 2. ſec. 1.*

c *Ibidē nu: 7. & c. 4. ſec. 3.*

Sec. 2. tionis

tionis vsurpantur, & propterea nos hoc nomine *Soueraigne* Regem intelligimus, absque eo quod nomen Rex, Princeps, seu Dominus, illi adiungamus; Et proinde in ipsomet Iuramento Regij etiam in causis Ecclesiasticis Primatus, non habetur, quod Rex sit *Soueraigne Gouernour*, seu *Gubernator* in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, nam verba illa non satis concinnè sonant, sed solùm, quòd in illis causis sit *supreme Gouernour*, seu Gubernator; at in hoc fidelitatis Iuramento non habetur, *supreme Dominus noster Rex*, sed *Soueraigne Dominus noster Rex*; quò fit vt magnã differentiam inter hæc duo nomina, *Supreme*, & *Soueraigne*, Supremacie, & *Soueraigntie*, constituamus, tametsi eodem nomine *supremus*, & *suprematus* latinè exprimi possint. Et quantumuis negare noluerim, *Regem nostrũ serenissimum* in ea sententia esse, quòd in causis omnibus tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus sit in suo Regno *Dominus*, seu *Gubernator supremus*, & legem antea à *Regina Elizabetha* de tali Iuramento; ab ijs præsertim, qui

Magiſtratum, aut gradum in Republica tenent, præſtando ſancitam confirmauerit; attamen quòd *Rex* noſter talem *ſuprematus* in rebus Eccleſiaſticis profeſſionem à ſubditis ſuis in hoc fidelitatis iuramento exigere in animo habuerit, penitus inficiamur, cùm ſola intentio *Regis* in hoc Iuramento fuerit, ſinceram ciuilis, ac naturalis obedientiæ, ac fidelitatis, & non Eccleſiaſticæ obedientiæ profeſſionem à Subditis poſtulare, vt ſuperiùs in hac *diſputatione* fuſiùs comprobauimus; d *Cap. 4. ſec. 3.* Neque enim *Rex* omne illud, quod ſibi à ſubditis deberi, quodque Subditos illi præſtare licitè poſſe exiſtimat, ab illis in hoc ciuilis fidelitatis Iureiurando exigere intendit, vt ipſemet *Rex* ſæpiùs in ſua *Apologia*, & *præmonitione* toti mundo teſtatum reliquit.

SEC. 3

SEC. 3.

Expēditur ratio Suarez, *qua hanc clausulam*, quod Papa non habeat potestatem Regem deponendi, &c. *impugnare contendit.*

1 SEd contra illa verba, *Et quod Papa nec per seipsum, nec per vllam aliam authoritatē Ecclesiæ vel Sedis Romanæ, nec per vlla media cum quibuscunque alijs aliquam potestatem, nec authoritatem habeat Regem deponendi*, vehemēter obijcit *Suarez* [a] in hunc modū: *Quis enim, quæso, dicat, per hac verba tantùm postulari a subditis obedientiam ciuilem, qualis Summis principibus a subditis debetur? Certè alij Reges Ecclesiæ non minus supremi Principes in temporalibus sunt, quàm Rex Angliæ, & tamen ipsi neque talem obedientiam exigunt, nec sibi a subditis deberi credunt, nec subditi illam recognoscunt, ergò apertè declarat Rex Angliæ de se loqui, & sentire tanquam de supremo Principe nullum in ter-*

[a] Lib.6.cap.2. num.4.& seq.

ris habente Superiorem, & hanc professionem per illud Iuramentum a subditis postulare. Deinde, per illa verba non tam iuratur obedientia Regi, quàm abiuratur potestas Papæ, tractare autem de potestate Papæ, & illam iurandam, vel abiurandam proponere, non pertinet ad potestatem ciuilem, aut temporalem Regis, nec ad obedientiam ciuilem illi debitam, ergò illa verba euidenter excedunt terminos obedientiæ ciuilis; tum quia verba ipsa aliquid aliud significant præter obedientiam ciuilem Regi debitam, vt ex ipsis manifestum est; tum etiam quia ipsemet actus exigendi tale Iuramentum, & imponendi obligationem profitendi hoc vel illud de potestate Pontificis est actus Iurisdictionis plusquam ciuilis, immo superioris, vel non subditæ potestati Pontificis; quia ad ciuilem potestatem non pertinet spirituali potestati, presertim supremæ terminos præscribere. Duobus ergò modis (vt Theologicis terminis declarem) Rex in illis verbis postulat obedientiam plusquam ciuilem, primò, in actu signato, proponendo materiam non ciuilem, secundò in actu exercito vtendo potestate plusquam ciuili, & cogendo subditos vt

illi se subdant, & sua professione illam recognoscant.

b *Cap.2.nu.5.*

2 *Accedit,* [b] *quòd per illa verba proponitur professio cuiusdam erroris contra doctrinã ab vniuersa Ecclesia probatam. Quamuis enim reuerà materia illa Ecclesiastica sit, si doctrina proposita vera esset, vtcunque tolerabilis esset Iurisdictionis vsurpatio; cum tamen ipsa forma Iuramenti errorem contineat, & ad illum profitendum subditos compellat, non solum exigit aliquid vltra obedientiam ciuilem, sed etiam cogit abnegandam Pontificiam potestatem, & ad confitendum aliquid sanæ doctrinæ contrarium. Assumptum ostenditur, quia ille articulus illius Iuramenti includit hanc propositionem, & sidem eius,* In Pontifice, vel in vniuersa Ecclesia non est potestas ad deponendum Regem baptizatum in vllo casu, vel propter quamcunque causam, vel culpam. *Quamuis enim in ipsa Iuramenti forma non addantur expressè omnes illæ particulæ, [in vllo casu, vel propter quamcunque causam vel culpam,] in alijs æquiualentibus continentur, cùm dicitur,* quod Papa nec per se, nec per alios, nec cum quibscunque

cunque

tunque alijs vllam poteſtatem, nec authoritatem habet Regem deponendi. *Si enim nullam poteſtatem habet, ergo nec facultatem puniendi, nec quouis alio titulo poteſtatem habet effectricem talis effectus, ſeu depoſitionis. Et hoc idē per alias clauſulas amplificatur, videlicet,* quòd Papa non habeat poteſtatem diſponendi de regnis ſub dominio Regis conſtitutis, aut alteri Regi concedendi authoritatem illa inuadendi. *Nam hæc omnia pendent ex illo principio,* quòd Papa non poſſit illum cogere per talem pœnam depoſitionis, etiamſi hæreticus, vel ſchiſmaticus, vel Catholicorum perſequutor ſit, neque aliquibus medijs coactionis temporalis, ſeu corporalis vti ad illum puniendum, vel Eccleſiam defendendam, & Catholicos a tanto periculo eruendos. *Quàm verò falſum ſit hoc dogma, quàmque alienum a principijs fidei, ab vſu Eccleſiæ, & ab omni etiam recta ratione, ſupoſito munere paſtorali, quod Chriſtus vicario ſuo commendauit, ſatis in libro tertio oſtenſum eſt, ideoque in hoc puncto non amplius immorabor.*

3 *Tandem,* [c] *eiuſdem rationis eſt* c Cap. 2. nu. 6.

alia clausula, in qua Rex suos subditos iurare cogit, in Pontifice non esse potestatem vllos subditorum suorum ab eorum *Maiestatis* obedientia, & subiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam, aut damnũ *Maiestatis* suæ personæ, statui, vel regmini, vel aliquibus suis subditis intra sua dominia offerendi: *Quæ clausula eiusdem ferè rationis est cum praecedenti, & ex eodem errore procedit, nimirum*, quòd in *Pontifice* nulla sit potestas coerciтiua *Regis* per temporalẽ violentiam, vel alias tẽporales pœnas, *quam doctrinã erroneã esse in eodẽ libro tertio ostensum est. Quamobrẽ etiam in hac clausula aliquid vltra obedientiam ciuilem iurandum proponitur,* & *spiritualis potestas vsurpatur, eamque in ipso Iuramento profiteri, & in Rege agnoscere subditi coguntur. Ac deniq; etiam potestas Pontificis abiuratur, & error contra fidei doctrinam iuratur.*

d Cap. 2. nu. 7. 4 *Immò in hoc involuuntur* [d] *noui errores: vnus est, quòd Papa non habeat potestatem relaxandi iuramenta, etiamsi*

si iusta & rationabilis causa intercedat, quod est contra Ecclesiasticum morem, Conciliorumq; generalium vsum, & approbationẽ. cap. 2. de re iudicata in Sexto. Et contra Catholicorum Doctorum consensum, & contra potestatem ligandi, & soluendi Petro datam, & ita vsu, & moribus totius populi Christiani declaratam. Et præterea est etiam contra rationem, nam in similibus iuramentis semper includitur vel conditio tacita, si promissio impleri possit sine notabili damno, & periculo iurantis, maximè verò quando illud periculum, & damnum prouenit ex iniuria, & violentia eius, cui fit promissio, vel intelligitur reseruatum ius superioris, qui non obstante promissione à Subdito facta potest illi prohibere, ne illam impleat, seu ne actionem promissam exequatur, si iusta & rationabilis causa intercedat, & consequenter potest relaxare Iuramentum, materiam eius prohibendo. Denique hic error supponit priorem. Nam si Papa potest deponere Regem, consequenter necesse est, vt auferre possit vinculum obedientiæ, & iuramenti, quia non promittitur obedientia Iacobo, vt Iacobus est, sed vt Rex; vnde si desinat esse Rex, eo

ipso non debetur ei obedientia, ac subinde nec Iuramentum obligat : nam sublata materia Iuramenti, consequenter Iuramenti obligationem auferri necesse est.

e Cap. 2. num. 8.

5 *Alius novus error est,* [e] *quia non solùm negatur Pontifici potestas deponendi ipsum Regem hæreticum, sed etiam subditos eius cogendi per huiusmodi pœnas, vt patet ex illa particula, [vel aliquibus suis subditis]. Est enim circa sensum illorum verborum attendendum, neminem esse, qui doceat, posse Pontificem suo arbitrio, & absque cogente iustitiæ ratione, dare alicui Principi licentiam, vt contra alium Regem, vel subditos eius arma sumat, aut vim aliquam, vel nocumentum ei inferat, sicut etiam non potest pro libito dare licentiam subditis excitandi turbas contra Regem suum &c. Sensus ergo est, non posse Pontificem violentiam aliquam, vel damnum inferre non solùm Regi, verùm etiam nec subditis suis, nec alicui dare licentiam quippiam simile contra subditos Regis Angliæ faciendi, etiamsi illi Apostatæ sint, & Ecclesiæ Romanæ rebelles, ac schismatum, & hæresum seminatores, vel fautores: hoc ergo modo dicimus, in*

verbis illis magnum, & novum errorem contineri, vel certè eundem de Primatu explicatum. Quid enim hoc aliud est, quàm profiteri, Subditos Regis Angliæ non habere in terris alium superiorem præter ipsum Regem, nec ab alio posse cogi, vel puniri propter sua scelera, etiamsi alijs Catholicis, et Ecclesiæ Christi perniciosa sint. Ergò per omnes has clausulas, vel satis expressè, vel saltem implicitè negatur, & abiuratur suprema Pontificis potestas, & Regi tribuitur. Unde concluditur, & falsum esse, nihil in hoc Iuramento exigi præter professionem civilis, aut temporalis obedientiæ, & è contrario verissimum esse, Iuramentum hoc esse iniustum, & virtute continere quicquid in prioribus iurandum offerebatur. Neque video quid possit his rationibus cum aliqua probabilitatis specie responderi. Hactenus *Suarez.*

6 Ad hanc obiectionem in superioribus satis, superque respondimus, dum omnibus argumentis clarissimè satisfecimus, quæ à *Suarez* in tertio suo libro allata sunt ad probandum, doctrinam hanc, quæ Summo Pontifici Principes deponendi potestatem

concedit, esse *certam*, fideque Catholica tenendam, ex cuius certitudine tota huius argumenti vis solummodò dependet. Prædictis enim verbis illa tantùm obedientia à subditis exigitur, quam ciuilem esse, & consequenter Summis Principibus à subditis deberi Doctores Catholici probabiliter existimant Et tametsi cæteri Reges talem obedientiam à subditis non exigant, propterea quòd non eadem illis causa, quæ REGI nostro illam exigendi suppetat, attamen cùm ad minimum probabile sit, talem obedientiam esse ciuilem, atque Principibus reuera à subditis deberi, neque hactenus ab Ecclesia definitum sit, esse spiritualem obedientiam, atque adeò Summo Pontifici debitam, sed de ea *certent Scholastici, & adhuc sub Iudice lis sit*, an sit obedientia temporalis, & an Papa possit Imperatorem deponere, possunt quidem illam iure à Subditis postulare, eosque compellere, vt talem obedientiam tanquam illis saltem probabiliter debitam agnoscant, quotiescunque rationibus verè prudentibus moti talem agnitio-

nem, cum ex ſe licita ſit, ad ſe, ſuumq; Statũ à futuris conſpirationibus conſervandum neceſſariam eſſe iudicauerint. Quid cæteri REGES de hac illimitata Summi Pontificis Principes deponendi, eoſque pœnis quibuſcunque temporalibus, ſeu corporalibus coercendi poteſtate intus in corde ſentiant, non ita facilè vel à *Suarez*, vel à quouis alio ſciri poteſt. Quòd autem hactenus Principes ſeculares, quando Summus Pontifex eos deponere attentauerit, talem Summi Pontificis authoritatem plerumque non agnouerint, ſed tum verbis, tum factis illi reſtiterint, & quòd ſubditi talium Principum, qui ob eiuſmodi depoſitiones Pontifices Summos, totamque Italiam innumeris malis vexarunt, talem Pontificum poteſtatem non approbauerint, Hiſtorici produnt. Quòd REGES, Regnumque Franciæ ſemper crediderint, non poſſe Summum *Pontificem* REGEM *Franciæ* Regno ſuo priuare, aut alio modo diſponere, & quòd *pleriq; Doctores* exiſtimauerint, non poſſe poteſtatem Eccleſiaſticam ex inſtitutione diuina vllam

pœnam temporalem, vt eſt mors, exilium, bonorum priuatio, infligere, immò nec incarcerare, ex *Petro Pithæo*, & *Iacobo Almaino* ſuperiùs relatis adeò manifeſtum eſt, vt audaciam *Suarez* ſatis mirari non poſſim, qui tam confidenter affirmat, *Certè alij Reges, nec talem obedientiam ſibi à Subditis deberi credunt, nec Subditi illam recognoſcunt.*

7. *Neque Rex noſter Sereniſſimus* in hoc Iuramenro ſpirituali poteſtati terminos præſcribit, ſed ſubditos duntaxat compellit, vt profiteantur & agnoſcant, talem ſibi poteſtatem competere, quam Catholici Doctores ſuam eſſe, atque ad illum ſpectare probabiliter exiſtimant, quamque recognitionem Subditi tutâ conſcientia præſtare poſſunt. Et propterea Subditos ſolummodò cogit, vt non primariò, & poſitiuè, ſed ſecundariò, & negatiuè profiteantur, quinam limites ſpirituali Summi Pontificis poteſtati ex ſententia Catholicorum Doctorum à Chriſto Domino præfixi ſunt. Non enim *Regia Maieſtas* tractat de poteſtate *Papa*,

vt poteſtas Papæ eſt, abſque habitudine ad Regiam ſuam poteſtatem, ſed primariò & directè tractat de ſua propria, & Regum omnium poteſtate, vt ſua eſſe, & ad Reges omnes quà Principes abſoluti ſunt, ſpectare probabiliter iudicatur. Et quoniam eadem poteſtas tum ciuilis, tum ſpiritualis ſimul eſſe nequit, neque ad Principes ſupremos, & Summos Pontifices ſimul pertinere poteſt, vt in prima *Sectione* declarauimus, conſequenter etiam tractat de poteſtate Papæ non quidem poſitiuè, quænam poteſtas ſpiritualis Summo Pontifici conueniat, ſed quænam poteſtas temporalis ad Principes temporales ſpectet, atque ita negatiuè etiam tractat, quænam poteſtas Summo Pontifici non competat, cum eadem poteſtas tum ad Principes Seculares, tum ad Paſtores ſpirituales ſimul pertinere eadem ratione nullo modo queat. Et certè mihi planè paradoxum eſſe videtur affirmare, quòd ad Principes temporales non ſpectet, ne negatiuè quidem tractare, quænam poteſtas Summo *Pontifici* à *Christo* Domino

concessa non sit; hac enim ratione non possent Subditos compellere, vt agnoscant, Summum *Pontificem* non esse supremum totius orbis Christiani, & consequenter suorum etiam Regnorum in temporalibus Monarcham, neque habere potestatem temporalem Duces, Comites, Barones in suis Regnis creandi, & similia; Si enim *Rex* de potestate *ciuili* tractat, consequenter de potestate *spirituali* simul negatiuè tractare ex necessitate debet, cum eadem potestas, vt diximus, simul spiritualis, & ciuilis esse nequeat.

8. Non igitur *sua Maiestas* in verbis prędictis postulat obedientiam plusquam ciuilem, vel in actu signato, proponendo materiam, quæ probabili Doctorum iudicio non ciuilis esse reputetur, vel in actu exercito, vtendo potestate, quæ etiam non ciuilis probabiliter iudicetur, aut cogendo subditos, vt tali obedientiæ se subdant, aut sua professione talem obedientiam recognoscant, quæ Principibus Secularibus deberi à *plerisque Doctoribus Catholicis*, si *Almaino* cre-

dendum eſt, non cenſeatur. Neque adhuc demonſtrauit *Suarez*, aut vnquam, mea quidem ſententia, *ſolidè* comprobare poterit, doctrinam hanc, quæ Summo *Pontifici* poteſtatem tribuit tanquam ex *Chriſti* inſtitutione illi debitam, *Principes* ſupremos vlla de cauſa deponendi, ſubditos ab eorum obedientia & ſubiectione exonerandi, vel eos pœnis temporalibus ob quantumuis delictum per modũ coercitionis caſtigandi, *eſſe certam, & ab vniuerſa Eccleſia probatam*, & *contrariam*, vt ipſe nimis præcipitanter affirmat, *eſſe & dogma falſum, & alienum à Principijs fidei, ab vſu Eccleſiæ, & recta ratione, ſuppoſito munere paſtorali, quod Chriſtus Vicario ſuo commendauit*, vt ſuperiùs aduersùs argumenta, quę *Suarez* in libro ſuo *tertio*, ad quem Lectorem toties remittit, ad id probandum attulit, ſatis copiosè commonſtrauimus.

9. Neque in hac Iuramenti clauſula profiteri cogimur, *quòd Papa non habeat poteſtatem relaxandi in vniuerſum Iuramenta*, ſed ſolùm quòd neque *ab iſto*, aut alio ſimili *fidelitatis*, vtpote

Principibus ſupremis iure diuino debitæ, *iuramento abſoluendi poteſtatem habeat*. Neque agnoſcere compellimur, *non poſſe Subditos Regis Angliæ ab alio quam à Rege ob ſua ſcelera caſtigari*, vt *Suarez* falsò affirmat, ſed ſolùm non poſſe eos à Summo *Pontifice*, cui in temporalibus ſubiecti non ſunt, ſed à *Rege* duntaxat, quem ſolum in temporalibus recognoſcunt, *pœnis temporalibus coerceri*, nam de pœnis ſpiritualibus nullam planè mentionem in hoc Iureiurando fieri nimis manifeſtum eſt. *Nec* denique *Subditi Regis Angliæ fidem huius doctrinæ profiteri* per prædicta verba *tenentur*, ſi *fidem* diuinam, & ſupernaturalem *Suarez* intelligat, ſed ſuam duntaxat opinionem profiteri, teſtificari, & declarare coguntur, & quòd *fide*, ſeu credulitate morali, talem doctrinam ſincerè amplectantur, agnoſcere conſtringuntur.

10 Ergò per nullam ex prædictis clauſulis vel expreſſè, vel implicitè, vt *Suarez* perperam concludit, negatur, & abiuratur ſuprema *Pontificis* poteſtas, & *Regi* tribuitur, quam *Pontificis*

esse, & non *Regis* certò constat, sed illa sola potestas in hoc Iuramento *Pontifici* negatur, & *Regi* tribuitur, quæ *Regia* tantùm potestas, & consequenter non *Pontificia* à Catholicis Doctoribus probabiliter iudicatur. Vnde concluditur, & verum esse nihil in hoc Iuramento exigi præter professionem ciuilis, ac temporalis obedientiæ, & é contrario falsum esse, Iuramentum hoc esse iniustum, & virtute aliquid illicitum, aut fidei repugnans in se continere. Et vtrùm hæ Responsiones probabiles sint necnè, tum Lectori erudito iudicandum, tum eas ab ipsomet *Suarez* aut approbandas, aut confutandas relinquo.

SEC. 4.

SEC. 4.

Secunda *pars Iuramenti iuxta* Svarez *diuisionem expenditur, quonam iure, & qualem communicationem humanā* Excommunicatio *tollat, explicatur; Et quid nomine* proditionis, *&* proditoriæ conspirationis *in hoc* Iuramento *significetur, declaratur.*

a *Cap.* 3. *nu.* 1. 1. IN *secunda* Iuramenti parte, quæ incipit ab illis verbis, *Item Iuro* &c. *Suarez* affirmat primò, *nihil ferè in ea contineri diuersum à præcedenti, sed in ea magis declarari omnia, quæ in priori parte contra potestatem Papæ abiurantur, vt nimirum intelligatur non solùm de potestate extraiudiciaria (vt sic dicam) seu de potentia faciendi per vires humanas, sed etiam procedere de potestate Iurisdictionis, & iudiciaria, quæ in hac se-*

cunda parte expressiùs negatur & abiuratur Pontifici sequentibus verbis. Item iuro ex corde quòd non obstante &c. *Hinc ergò euidenter concludimus, postulari à Subditis Regis Angliæ per illa verba, vt iurent, sententiam depositionis contra Regem neque validam, neque iustam esse posse, nam reuera hoc profitentur, cùm iurant, tali sententiæ non parere, nec illam seruare: non enim, vt credo, Rex asseret, sententiam Papæ deponentis Regem baptizatum propter crimina posse esse iustam, sed credit semper esse iniustam. Vnde vlteriùs* [b] *concludimus, ab eisdem peti vt iurent, non esse in Pontifice potestatem ad talem sententiam ferendam. Probatur, quia non alia ratione credit Rex, & à suis Subditis vult credi sententiam illam forè iniustam, nisi quia absq; potestate, & Iurisdictione Papæ supra Regem lata sit, hoc enim iugum confringere, & à se tollere his omnibus medijs conatur Rex, & ideò in suo libro sæpe repetit, se nihil minus esse a Pontifice, & Pontifici nihil negotij esse cum illo, & similia. Nec potest aliam rationem iniustitiæ in tali sententia Rex allegare, aut prætendere quæ perpetua*

b Cap. 3. nu. 3.

Sec.4. *sit,*

sit, & huic parti Iuramenti fundamentū dare potuerit.

c Cap. 3. nu. 4.

2 *Concludo igitur in* [c] *illis verbis huius Iuramenti non tantùm postulari ciuilem obedientiam, sed etiam professionem huius erroris*, quod Papa non habeat potestatem, & Iurisdictionem ad ferendam contra Regem depositionis sententiam quacunque ex causa, *ac subinde non esse veram illam Regis propositionem*, Nihil in eo Iuramento contineri nisi quod ad obedientiam merè ciuilem ac temporalem spectat. *Et inde vlterius infertur, peccare grauissimè Subditos illud Iuramentum præstando. Nam profitentur, & confitentur exterius, Papam non habere Iurisdictionem supra Regem, qua possit in eum iustam sententiam depositionis dicere quacunq; ex causa, & quocunq; modo illam ferat, seruato ordine, quē naturalis iustitia postularet, si potestas nō deesset. Aut enim qui hoc Iuramentum exhibet, hoc quod profitetur, credit, vel non credit; si credit, corde & opere schismaticus est, & in doctrina fidei errat; si verò non credit, quod in Iuramenti forma continetur, & nihilominus iurat, peccat tum*

Pars 2. *contra*

contra fidei confessionem, tum contra Iuramenti religionem, siuè iuret absque intentione implendi quod iurat, siue cum intentione seruandi illud, quia priori modo periurus est, posteriori modo facit Iuramentum vinculum iniquitatis, & proponit obedire potiùs hominibus, quàm Deo, promittendo obedire Regi contra iustam sententiam, & præceptum Pontificis.

3. *Quòd si quis dicat* [d], *eos, qui simpliciter iurant, non intelligere omnia quæ in illo iuramento continentur. Respondemus, excusationem esse friuolam, tum quia non de personarum ignorantia, sed de Iuramenti qualitate, & iustitia, vel iniustitia tractamus; tum etiam quia ignorantia illa in Catholicis vix potest esse inuincibilis, nisi valde rustici, & parùm instructi in religione sint, quia literati, & periti facilè intelligunt errores in Iuramento latentes, & qui minùs docti sunt, saltem dubitabunt, & tenentur veritatem indagare, & nullus est tam ignorans, qui possit tuta conscientia temerè iurare, non inquirendo priùs quale sit iuramentum. Quod maximè in Anglia locum habet, quia cùm sciant omnes Catholici*

d Cap. 3. nn. 5.

etiam rustici, Regem & consiliarios suos Pontificem maximo odio prosequi, & fidē Romanam auersari, & in ipsamet Iuramenti forma videant, multa cōtra Pontificem abiurari, necesse est vt dubitent, qualis illa abiuratio sit; ergo si temerè iurant, non excusantur à grauissimis culpis, quas in iuramento subesse declarauimus. Ac denique cum tale Iuramentum cedat in contemptum Apostolicæ Sedis, & in Religionis Christianæ detrimentum, non potest admitti sine magno scandalo, ideoq́; Pastores, & Doctores Catholici illius Ecclesiæ, quæ in Anglia est, non debent tacere veritatem, & ignorantiam simplicium admittere; nam in huiusmodi euentu minus malum est afflictionem temporalem tolerare, vel aliquorum inconstantiū lapsus permittere, quàm veritatem occultare, aut dissimulare.

4. *Atque hic discursus factus circa* c*Cap. 3. nu: 6.* *iniquam abiurationem iustæ sententiæ, quæ à Pontifice contra Regem ferri potest, applicari etiam potest ad similem abiurationem, quæ de omni absolutione à Iuramento fidelitatis, quam Papa Subditis Regis concesserit, fit per illa verba*, vel quacunque absolutione dictorum

Subditorum, *nam hæc verba etiã excedunt obedientiam politicam, quia Papam posse, vel non posse absoluere à Iuramento, non est materia obedientiæ ciuilis, sed est materia Ecclesiastica, spectans ad interpretationem potestatis ligandi, & soluendi Petro data à Christo Domino. Et præterea hæc verba sunt connexa cum præcedentibus, & eundem errorem continent. Quia obligatio obedientiæ in quocunque ordine, vel statu tantùm durat in subdito, quantùm in Superiori durat dignitas, seu potestas, & Iurisdictio, quia hæc sunt correlatiua, & vnum ab alio, pendet. Vnde tam in Prælationibus Ecclesiæ, quàm in Magistratibus ciuilibus, eo ipso quòd persona Superior à Prælatione, vel Magistratu deponitur, cessat in Subditis obligatio obediendi. Quod etiam in Summo Pontifice locum habet, si Pontificatui renunciet, vel propter hæresim deponatur: ita ergò si Pontifex potest Regem deponere, potest etiam Subditos ab eius obedientia absoluere, ergò vt minimùm est æqualis error in abiuratione omnis absolutionis fidelitatis per Pontificem factæ, ac in abiuratione omnis sententiæ depositionis. Addo verò nouum errorem in hac poste-*

steriori parte inuolui, quia etiam sine depositione à Regno potest Pontifex præcipere subditis, vt Regi pertinaci in aliquo errore, vel publico, ac scandaloso crimine non obediant, & absoluere illos pro tunc à iuramento obedientiæ per modum suspensionis obligationis. Duobus enim modis potest Rex contumax, seu rebellis contra religionem, per Pontificem priuari potestate Regni, & subditi eius à fidelitate absolui, vno modo quoad vsum tantùm, & per modum cuiusdam suspensionis, alio modo qooad proprietatem, & dominium, & per modum depositionis, & vtrumq; negat Rex Angliæ in hoc Iuramento, primum quidem in secunda, & quarta clausulis iuramenti, expressiùs quàm in alijs, aliud verò in toto Iuramento, & omnibus partibus eius: Doctrina autem Catholica vtrumq; docet.

f cap.6.num.13.

5 *Nam prior modus depriuationis in ipso vinculo maioris excommunicationis intrinsecè inclusus est, vt docet* Gregorius *Papa septimus in cap*: Nos Sanctorum 15. *q*.6. *vbi ait*, Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento con-

ſtricti ſunt, Apoſtolica authoritate a ſacramento abſoluimus, & ne eis fidelitatem obſeruent, omnibus modis prohibemus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant. *Quibus verbis non tam fit noua prohibitio, quàm declaratur illa, quæ virtute talis Cenſuræ fit. Nam illa Cenſura priuat non tantùm ſacra, ſed etiam ciuili communicatione in omnibus rebus, ſeu caſibus in iure non exceptis: in hoc autem non fit exceptio, ſed etiam declaratur prohibitio. Quòd autem illa non ſit abſoluta depoſitio, ſed quaſi ſuſpenſio, patet ex limitatione ibi adiuncta,* quouſque ipſi ad ſatiſfactionem veniant. *Hinc enim conſtat, illam abſolutionem non eſſe perpetuam, ſed durante illo vinculo. Eſt ergò per modum ſuſpenſionis poteſtatis quoad vſum, & non per modum depoſitionis. Quia verò illa verba vltima dicuntur non inueniri in Codice Manuſcripto in Vaticano inuento, ſimilis deciſio cum illa expreſſa declaratione reperitur ex* Paſchali ſecundo i*n cap.* Iuratos 15. q.6, quamdiu excommunicatus eſt. *Et ſimilis limitatio habetur in cap. vltimo* de pænis.

6 *Neque contra hoc obſtat* [i] *obiectio* i *Cap.6.nu:15*

Regis, quia Excommunicatio est spiritualis Censura, & ideò priuatito Iurisdictionis, vel temporalis potestatis etiam quoad vsum, & per modum suspensionis, eius fines excedit. *Negatur enim consecutio. Nam licet Excommunicatio dicatur Censura spiritualis, vel a principali materia, & fine illius, vel quia a spirituali potestate procedit, tamen sicut potestas ipsa, licet sit spiritualis, indirectè ad temporalia extenditur, ita etiam Censura excommunicationis eodem modo & spiritualis est, & indirectè extenditur ad temporalia, priuat enim non solùm communicatione sacra, sed etiam ciuili & humana, vt constat ex institutione, & vsu Ecclesiæ perpetua traditione approbato, & in Scriptura fundato. Nam* 2. Ioan. 1. *dicitur*, Neque Aue ei dixeritis. *Et* Paulus 1. Cor. 5. Cum eiusmodi nec cibum sumere. *Et rationem ibidem insinuat, cum ait*, Iudicaui, &c. tradere huiusmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die domini nostri Iesu Christi. *Ita ergò per excommunicationem vexatur homo etiam in temporalibus, & corporalibus, vt vexatio det intellectum,*

vt a contumacia recedat.

7 *Alter vero modus priuationis* [k] *per modum depositionis a regno, vel ab alia temporali potestate & consequenter cum perpetua absolutione Subditorum a fidelitate, & obedienta ciuili, non est quidem effectus proprius, & intrinsecus Excommunicationis maioris, si nihil amplius addatur, vt ex propria materia suppono, & ex communi vsu Ecclesiæ, & ex allegatis etiam iuribus satis colligitur. Nihilominus tamen hæc etiam depositio, & absolutio per modum singularis pænæ adiungitur Censuris, quando delicta Principum cogunt Pontifices ad illa seueritate vtendum, qui vsus satis est a nobis in libro tertio comprobatus. Et inde conuincitur potestas, quia tam publicus & constans vsus, & tam efficax sine violentia armorum non potuit esse sine fide Ecclesiæ recognoscentis in Pontifice legitimam potestatem ad illam pœnam imponendam inclusam in potestate ligandi, & soluendi Petro datam a Christo, & in virga pastorali, quam ad regendam Ecclesiam accepit, vt in citato loco satis ostendimus. Et hîc etiam habet locum ratio Pauli, quia oportet sæpe hominem pecca-* c *Cap.6 nu.16.*

torem corporaliter, & temporaliter grauissimè affligere, vt resipiscat. Item est optima ratio, quia subditi sæpè indigent
Cap. 9. nu. 13. *hoc remedio, ne subuertantur. Ideò enim de hæretico dixit Paulus,* post vnam & secundam correptionem deuita, *quod multò magis in Principe, quàm in alijs solet esse necessarium. Quoniam igitur Doctrina Catholica vtramque hanc potestatis Regiæ depriuationem, & Subditorum a fidelitate absolutionem docet, nimirũ & per modũ depositionis a Regno, & per modum suspensionis virtute tantum Excõmanicationis maioris, & potestas Regẽ deponendi non minori certitudine Pontifici cõuenit, quàm potestas excõmunicãdi, licet expressa abiuratio potestatis excõmunicandi a Rege ex hoc Iuramento sublata fuerit, (de quo propter verbũ Regis de facto testificantis non dubitamus) implicita & inuoluta relicta est:* Ita *Suarez.*

8 Hanc secundam Iuramenti partem *Suarez* satis longo, vt vidistis, discursu probare contendit, esse ex se illicitam, & non solùm obedientiam ciuilem, verùm potestatis etiam Apostolicæ abnegationem, & doctrinæ erroneæ professionem continere: Et

nihilominus affirmat, quod etiam discursus eius planè indicat, *nihil ferè in hac clausula diuersum à praecedente comprehendi, sed in ea magis declarari, & expressiùs negari & abiurari, quæ in priori parte contra potestatẽ Papæ abiurantur.* Et propterea eadem Responsio, quam ad priorem obiectionem dissoluendam adduximus, huic etiam pariter abundè satisfaciet. Nam sicut absque vlla erroris nota interiùs credere fas est (si de morali credulitate, seu probabili persuasione loquamur) penes Summum Pontificem non esse potestatem Principes deponendi, ac proinde nec subditos ab eorum fidelitate absoluendi, cùm *pleriq; Doctores*, vt ait Almainus, *existiment, non posse Summum Pontificem ex Christi institutione vllam pœnam temporalem, vt est mors, exilium, bonorum priuatio &c. infligere, immò nec quenquam incarcerare, atq; de hac re certent Scholastici,* (ait Trithemius, vt nunc alios, quos alibi recensui, Authores taceam) *an Papa possit Imperatorem deponere*; ita etiam absque vlla erroris macula illud etiam exteriùs profiteri licet, absque

eo quod hęreticus, aut ſchiſmaticus, aut in doctrina fidei errare exiſtimandus ſit, vti *Suarez* pace tanti viri, nimis temerè, indoctè, parumque Chriſtianè affirmat. Neque ipſe in tertio ſuo libro, ad quem toties Lectorem remittit, ſatis ſolidè, (vt ex ſupradictis Reſponſionibus, quas ad eius argumenta adduxi, clariſſimè conſtat) demonſtrauit, aut rationibus demonſtratiuis vnquam conuincere poterit, eſſe in Summo Pontifice ex inſtitutione Chriſti poteſtatem Principes ſupremos, ac abſolutos ſuis Regnis, & Dominijs *vel ad tempus*, vi tantùm excommunicationis, ſeu per modum ſuſpenſionis ſuæ Regiæ authoritatis, *vel in perpetuum* per depoſitionis ſententiam priuandi, & conſequenter nec ſubditos ab eorum obedientia vel ad tempus, vel in perpetuum abſoluendi, cùm, iuxta doctrinam ipſiuſmet *Suarez* ſuperius [m] relatam, *obligatio obedientiæ in quocunque ordine vel ſtatu tantùm duret in ſubdito, quantum in ſuperiori duret dignitas, ſeu poteſtas, & Iuriſdictio, quia hæc ſunt correlatiua, & vnum ab alio pendet.*

[m] Num: 4.

9 Et quanquam ad ciuilem obedientiam non pertineat, vt superiùs [a]annotauimus, tractare, agnoscere, & profiteri, quænam potestas vel à Iuramentis absoluendi, vel rem quamcumque aliam determinandi Summo Pontifici positiuè conveniat, cùm potestas eius spiritualis sit, & fori secularis terminos excedat, ad ciuilem tamen obedientiam spectat, de illa potestate ciuili tractare, illamque agnoscere & profiteri, quæ Principibus temporalibus debetur, & consequenter agnoscere, quænam potestas Summo Pontifici non competat, quandoquidem eadem potestas, quæ *ciuilis* est, & REGVM propria, non potest simul esse *spiritualis*, & ad Pastores ecclesiasticos spectans. Neque in hoc iuramento cogimur profiteri Summũ Pontificem non habere potestatem absoluendi à iuramẽtis in vniuersum, sed tantùm ab isto fidelitatis iuramento, propterea quòd ciuilis obedientiæ professio, abnegatio, atque etiam relaxatio non spirituales, sed temporales causæ à pluribus Doctoribus Catholicis ob rationes verè probabiles

[a] *2. part. sec. 1. & sec. 3. nu. 7.*

babiles existimantur. Pari ratione posset *Suarez* affirmare, non habere Principes Seculi potestatem suos subditos compellendi, vt temporalem suam fidelitatem iureiurando confirment, cùm Iuramentum actus sit religionis, & sacram obligationem inducens, & consequenter res sit spiritualis, atque adeò ad obedientiam ciuilem nequaquam pertineat. Sed huiusmodi obiectiones friuolæ sunt, & viris præsertim eruditis ad Principum, qui in temporalibus solo DEO minores sunt, potestatem deprimendam prorsus indignæ; Nullus enim Catholicus negabit, quin tametsi Iuramentum per se sumptum sit res spiritualis, per accidens tamen, quatenus ciuilem contractum, aut ciuilis obedientiæ obligationem confirmat, sit res temporalis, & proinde ea ratione per potestatem ciuilem non solùm relaxari, ac postulari, verùm & si non seruetur, pœnis temporalibus castigari etiam possit.

10. Iam quod ad nouum illum errorem spectat, quem *Suarez* in hac clausula contineri affirmat, *Respon-*

demus, nullum planè esse errorem, sed probabilem plurimorum Catholicorum doctrinam affirmare, non esse in Summo Pontifice ex Christi institutione potestatem Principes temporales vel quoad vsum, vel quoad proprietatem, & dominium suis Regnis priuandi, & consequenter, neq; subditos à vinculo obedientiæ, supremis Principibus iure diuino debitæ, vel ad tempus, vel in perpetuũ, aut per excommunicationis, aut depositionis sententiam absoluendi. Neq; veritati consonum est, quod idem *Suarez* adeò confidenter pronunciat, nempe, *priuationem potestatis Regiæ quoad vsum, & per modum suspensionis, & absolutionis subditorum à fidelitate ad certum tempus in vinculo Excommunicationis maioris inclusum esse*, vt ex definitione Excommunicationis ab ipsomet *Suarez* tradita manifestè colligitur: *Est*, inquit, [o] *Excommunicatio Censura Ecclesiastica, qua quispiam separatur ab Ecclesiastica communione fidelium.* Quapropter *Excommunicatio* generatim sumpta, & consequenter speciatim etiam accepta (cum species

o *Tom.5.disp. 8.sec.1.*

sub genere contineri debeat) intrinsecè, & ex sua natura Ecclesiastica tantùm communione, & non ciuili, quæ Ecclesiasticæ opponitur, Christianos priuat. Neque *Maior*, & *Minor Excommunicatio* in eo distinguuntur, quod *Minor* communione tantùm Ecclesiastica, *Maior* verò tum Ecclesiastica, tum ciuili homines priuet; sed *Minor Excommunicatio* ideo dicitur, quòd priuet *Minori* Ecclesiastica communione, nempe in Sacramentis tantùm, *Maior* verò, quòd *Maiori* Ecclesiastica communione, nempe in Sacramentis, & suffragijs, & bonis omnibus Ecclesiasticis, quæ ex Christiana religione proueniunt, priuet, vtpote à gremio Ecclesiæ fideles omnino separans: vtraque enim, cum intrinsecè *Excommunicatio* sit, eiusque naturam participet, Ecclesiastica tantùm communione, & non ciuili, quæ Ecclesiasticæ opponitur, fideles priuare debet. Atq; hoc ipsum in ipso nomine *Excommunicationis*, vt ibidem dixit *Suarez*, indicatur. Nam *Excommunicatus perinde dictus est, atq; extra communionem*

factus. Et fundamentum habet in verbis Domini, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã Ethnicus & Publicanus, id est, ab Ecclesia segregatus* : ita *Suarez.* Neque enim lege Christi cautum est, ne fideles cum Ethnicis, & Publicanis ciuiliter conuersentur, nisi aliquod spirituale periculum, quod ex lege Christi, & naturæ deuitare tenentur, ex tali conuersatione oriretur. Et propterea valdè impropriè locutus est *Suarez* quando dixit, absolutionem subditorum à fidelitate in vinculo *Maioris Excommunicationis* intrinsecè inclusam esse, cum *Excommunicatio Ecclesiastica* intrinsecè, & ex sua natura, prout Christus eam, & pœnas illi necessariò annexas instituit, nullo ciuili consortio fideles priuet, & non illud, præsertim fidelitatis & obsequij, vinculum, quo subditi, filij, serui, suis Principibus, parentibus, Dominis, diuino & naturali iure sunt obligati, soluat.

11. Reliquum igitur est, vt ea tantùm de causa dici possit, absolutionem subditorum à fidelitate in vinculo *Maioris Excommunicationis* in-

clusam esse, quod Ecclesia *Principem* excommunicans hoc ipso illum etiam omni regnandi potestate priuet, & consequenter subditos ab omni fidelitate illi tanquam *Principi* debita, pro tempore quo excommunicatus manet, absoluat. Nisi enim *Excommunicatio* ex *Principe* non *Principem* efficiendi vim habeat, obedientiam & subiectionem, quæ cuiuis *Principi* legitimo diuino, & naturali iure debetur, tollere nequaquam potest, cum, iuxta doctrinam ipsiusmet *Suarez* superiùs p relatam, *obligatio obedientiæ in quocunquè ordine vel statu tantùm duret in subdito, quantùm in Superiori durat dignitas, seu potestas, & Iurisdictio, quia hæc sunt correlatiua, & vnum ab alio pendet.* Itaque non nouus aliquis error in hac Iuramenti clausula continetur, vt *Suarez* affirmat, sed eadē præcedens quæstio adhuc manet, vtrùm Ecclesia, seu potestas Ecclesiastica authoritatē habeat *Principes* seculares deponendi, eosq; pœnis tēporalibus coercitiuè castigādi. Nā si nulla talis authoritas Ecclesiæ cōpetat, vt *plerisq; Doctoribus* placet, ait *Almainus, & de ea re certant*

p *In hac sec. num.* 4.

ſtici, adhuc ſub Iudice lis eſt, dixit *Tri-themius*, non poteſt ipſa virtute Excō-municationis talem pœnam infligere, cùm præſertim nulla talis pœna tem-poralis ex inſtitutione Chriſti, *Eccle-ſiaſticæ excommunicationis* Cenſuræ ap-ponatur, quæ cum ſpiritualis Cenſu-ra ſit, non poteſt intrinſecè, & ex ſua natura, iuxta præfatam *Suarez* defi-nitionem, ciuili fidelium commercio, ſed Eccleſiaſtica duntaxat communi-one quempiam priuare. Atque hic proprius, & genuinus illorũ *Regis no-ſtri Sereniſſimi* verborum, quæ *Suarez* non ſatis ſolidè confutauit, ſenſus erat: Quando enim *ſua Maieſtas* affirma-uit, *Excommunicationem eſſe ſpiritua-lem Cenſuram*, (& proinde non habe-re vim ſubditos ciuili obedientia, & temporali ſubiectione priuandi) non ſolùm intellexit, quòd *Excommunica-tio* ea ſolùm de cauſa ſpiritualis Cen-ſura dicatur, quòd à ſpirituali pote-ſtate procedat, & in finem ſpiritua-lem tendat, ſed quòd ex lege *Chriſti*, & propria ſua natura, provt etiam à *Suarez* definitur, mere ſpiritualis cen-ſura, ſeu pœna ſit, & quæ ab Ecclſia-

Sec. 8. ſtica

stica tantùm, & non ciuili communione fideles separet, & propterea nullam pœnam ciuilem ex *Christi* institutione sibi annexam habeat.

12 Quòd si *Suarez* fortasse reponat, *Excommunicationem*, quantumuis, si legem *Christi* eiusque institutionem duntaxat spectemus, spiritualem hunc tantùm habere effectum, ac vim Christianos ab Ecclesiastica fidelium communione segregandi, attamen *Christum dominum* in arbitrio Ecclesiæ reliquisse, vt pœnas etiam temporales *Excommunicationi* annecteret, *Respondemus*, illud quidem ex parte verum esse, *sed cùm dicitur Excommunicatio priuare Ecclesiastica communicatione, necessariò intelligendum est*, ait [q] *Suarez, de communicatione, quæ ab Ecclesiæ potestate, & voluntate pendet, & in quam ipsa potest ius, & potestatem habere.* Atque ita pœnæ illæ, quas Ecclesia *Excommunicationi* annectere potest, debent esse tales, ad quas infligendas ipsa à *Christo* authoritatem accepit. Vtrùm autem Ecclesia, seu potestas spiritualis potestatem habeat *Principes* deponendi, & pœnas tem-

[q] *Tom: 5. disp. 8. sect. 1. in fine & sect. 2. in in principio.*

porales per modum coercitionis infligendi, est illud de quo iam cum *Suarez* contendimus, *& de quo certant Scholastici, & adhuc sub Iudice lis est*, vt sæpius ex *Trithemio* diximus

13 Dixi *per modum coercitionis*, Nam Ecclesia procul dubio potestatem habet quasdam res temporales præcipiendi, atque ita eas Ecclesiasticæ Excommunicationis Censuræ annectendi, veluti cum Excommunicatis, aut peccatoribus publicis non manducare, non bibere, eos non salutare, & cum illis ciuiliter non conuersari, extra tamen illos casus in quibus ex lege *Christi*, aut naturæ ciuiliter conuersari tenentur. Atque ita Ecclesia precipere potest, vt a quibusdam cibis abstineamus, vt pecunias in vsus pauperum erogemus, vt cum excommunicatis extra dictos casus ciuiliter non conuersemur, eaque, & his similia per modum præcepti *Excommunicationi* adiungere, quotiescunque ad animarum salutem illud necessarium esse iudicauerit, Et hoc solùm *confirmat institutio, & vsus Ecclesiæ perpetua traditione approbatus, & in*

Scriptura fundatus. 2. Ioan. 1. *Neque aue ei dixeritis*, & Cor. 5. *cum eiusmodi nec cibum sumere:* neque de potestate Ecclesiastica præcipiendi, sed tantùm coercendi vlla in præsenti controuersia existit. Si autem non obstante Ecclesiæ præcepto neque ieiunemus, neque eleemosynas largiamur, neque a ciuili communicatione abstineamus, ad quid tunc *per modum coercitionis* Ecclesiastica potestas extenditur? In hoc solum modo præsentis inter me & *Suarez* controuersiæ cardo vertitur; in hac *coercendi*, seu *coercitiuè puniendi* potestate tota difficultas versatur. Neq; enim à ratione, aut veritate Catholica alienum esse existimo, *quod etiam plerisque Doctoribus placet*, vt dixit *Almainus*, *spiritualem Ecclesiæ potestatem nullam pœnam ciuilem, vt sunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex institutione diuina infligere posse, immò nec quenquam incarcerare, sed ad solam pœnam spiritualem extendi, vtputa Excommunicationem, aut aliam similem pœnam spiritualem, reliquas autem pœnas temporales, quibus vtitur, ex iure purè positiuo, & Principum priuilegijs esse.*

14 Dixi

14. Dixi ſecundò, [*ex Chriſti inſtitutione*] : Quoniam enim Principes Seculares multas gratias temporales, atque priuilegia, aut expreſſè, aut tacitè Eccleſiæ conceſſerunt, quæcunq; etiam pœnæ temporales, quæ à Principum priuilegijs pendent, Eccleſiaſticæ excommunicationis Cenſuræ adiungi ab Eccleſia poſſunt, atque in eo ſenſu effectus quoque Excommunicationis dici queunt : Sed ſubditis præcipere, ne legitimo ſuo *Principi* in temporalibus obediant, eoſque ab obedientia illa, quæ poteſtatibus Secularibus ex lege *Chriſti*, & naturæ debetur, exonerare, (*cùm poteſtas præcipiendi in Principe, & obligatio obedientiæ in ſubditis, ſint correlatiua, & vnum ab altero pendeat*, vt *Suarez* ſuperiùs [r] affirmauit) non eſt in Eccleſiæ poteſtate, niſi *Reges* deponendi, eoſque ex Regibus non Reges efficiendi authoritatem habeat, quæ poteſtas, vtrùm Eccleſiæ competat, necnè, eſt ipſamet quæſtio, de qua iam cum *Suarez* contendimus, neque ipſe hanc authoritatem *Principes* deponendi, *de qua re certant Scholaſtici, & adhuc*

[r] *Num:* 4.

sub Iudice lis est, Ecclesiæ à Christo concessam esse vlla sufficienti ratione, aut authoritate hactenus demonstrauit. Nam ad illos Canones, *Nos sanctum*, & *Iuratos milites*, quos *Suarez* pro potissimo suo fundamento adducit ad probandum, posse Summum Pontificem subditos ab obedientiæ vinculo, saltem ad tempus, & per modum suspensionis obligationis absoluere, satis à nobis superiùs responsum est, quæ etiam Responsiones illi vltimo capiti *de pœnis*, pariter accommodari possunt.

In Disput. cap. 6. sec. 3: num. 12. & seq.

15. Ad illud autem quod ait *Suarez*, *Excommunicationem priuare non solùm communicatione sacra, sed etiam ciuili, & humana, vt constat ex institutione, & vsu Ecclesiæ perpetua traditione approbato, & in Scriptura fundato.* 2. Ion. 1. & 1. Cor. 5. *Respondetur*, esse quidem in Ecclesia potestatem segregandi per viam præcepti, vt suprà declarauimus, excommunicatum à ciuili participatione fidelium extra casus illos, in quibus ex lege *Christi* communicare non tenentur, atque hæc doctrina in prædictis sacræ Scripturæ

textibus fundatur, ſed quòd ciuilis iſte effectus ſit iure diuino, aut intrinſecè excommunicationi annexus, penitus inficiamur, & definitio à *Suarez* tradita contrarium euidenter conuincit. Neque verum eſt, quod *Suarez* affirmat, hunc eſſe Eccleſiæ vſum perpetua traditione approbatum, vt ſi *Princeps* excommunicatus fuerit, ſtatim omni fidelium ſocietate, & conſortio Chriſtianorum in ciuilibus priuatus ſit, & ſubditi ciuilem cum illo conuerſationem vitare teneantur, vt ex *Theodoſij*, *Arcadij*, *Friderici* primi, aliorumque Imperatorum, Regumque Chriſtianorum excommunicationibus ſatis conſtat, qui tametſi excommunicati eſſent, non tamen regni ſui adminiſtratione, ſed ſolùm ſacra, & Eccleſiaſtica communione vi *excommunicationis* priuatos eſſe omnes tunc temporis intellexerunt. Fateor equidẽ, quoſdam Pontifices paucis ab hinc ſeculis, nempe à temporibus Gregorij Papæ ſeptimi (*qui primus omnium Pontificum præter Maiorum morem*, ait Onuphrius [t]; *contempta Imperatoris authoritate, & poteſtate Cæſarem ipſum,*

[t] *Lib. 4. de var. creat. Rom. Pont.*

à quo si non electus saltem confirmatus fuerat, non dico, excommunicare, sed etiam regno, imperioque priuare ausus est) qui hanc *Principes* deponendi, & subditos ab eorum obedientia absoluendi potestatem sibi competere opinati sunt, prædictum effectum excommunicationibus *Principum* inferiorum, forsan ex Supremorum consensu adiunxisse, sed neque hæc opinio, neque illius praxis, (quod ad *supremorum Principum* excommunicationes spectat) perpetua traditione approbata fuit, sed ab ipsius primordio ad præsens vsque sæculum à *Principibus*, subditis, & Doctoribus Catholicis vehementer impugnata, & propterea non rectè vsum istum perpetuā Ecclesiæ traditionem appellare possumus, vt à *Suarez* & quibusdam alijs modernis Theologis immeritò nuncupari solet, ea forsan de causa, vt sub specioso pietatis prætextu imperitam hominum turbam ad hanc opinionem pro potestate Papali *Principes* deponendi feruentiùs amplectendam faciliùs allicere possent.

16. Vt igitur Responsionem istam

paucis concludam, nego *primùm*, eſſe *doctrinam Catholicam*, atque adeò non abſque hæreſeωs, aut ſaltem erroris nota reijciendam, vt *Suarez* nimis temerè affirmat, quòd in Summo *Pontifice* ſit poteſtas *Principes* ſupremos vel in perpetuum per ſententiam depoſitionis, vel ad tempus vi excommunicationis ſuis Regnis, & Dominijs priuandi, & conſequenter neque ſubditos ab eorum fidelitate vel in perpetuum, vel ad tempus abſoluendi: Et *ſecundo*, non minori certitudine poteſtatē deponendi *Principes*, quàm poteſtatem eos excommunicandi Summo Pontifici conuenire. Et certè ſatis mirari non poſſum, quod vir adeò eruditus iſtud tam confidenter affirmare auſus fuerit, cùm plurimi Catholici etiam vſque ad hodiernum diem, ipſumque Franciæ Regnum, ſi *Petro Pythæo* credere fas ſit, poteſtatem Summi Pontificis *Principes*, & *Regem* inprimis Chriſtianiſſimum deponendi vehementer impugnent, *deque ea re certent Scholaſtici, & adhuc ſub Iudice lis exiſtat*, qui tamen poteſtatem *Principes* excommunicandi, eoſque ab

ecclesiastica, seu sacra fidelium communione segregandi inficiari nolunt. Neque fundamenta pro vtraque potestate æqualis sunt ponderis, cùm *Excommunicatio* sit pœna, seu Censura spiritualis, atq; adeò naturæ, & conditioni spiritualis, seu Ecclesiæ potestatis accommodata, depositio autem pœna sit meré temporalis, atque adeò temporali, non spirituali Reipublicæ proportionata. Et propterea neque potestas Summi Pontificis excommunicandi in hac secunda Iuramenti parte vel expressè, vel tacitè abiuratur, neque, vt *Suarez* perperam concludit, vlla spiritualis authoritas, quam ex *Christi* institutione Summo Pontifici concessam esse certò constat, vel apertè vel tectè abnegatur. Neque prædicta Iuramenti clausula cedit in contemptum *Apostolicæ Sedis*, aut in religionis Christianæ detrimentum, vt *Suarez* absque sufficienti ratione pronunciauit, ideoque Pastores & Doctores Catholici illius Ecclesiæ, quæ in Anglia est, non debent, tacendo veritatem, ignorantiam simplicium in re tam graui admittere.

Nam in huiusmodi euentu melius est præfatis Ecclesiæ Anglicanæ Pastoribus afflictionē temporalē, atq; infamiā, quā Aduersarij illis inurere tentant, tolerare, & propter veritatē persecutionē pati, quàm veritatē occultando, aut dissimulando aliquorū lapsus in causa tanti ponderis permittere.

17 Denique quis non videt, prædictam obiectionem, quam *Suarez* ad hanc secundam *Iuramenti* partem impugnandam adducit, non solùm aduersús Regnum Franciæ, quod, *authore Pithæo*[u], constanter tenet, *non posse Papam Regem Franciæ regno suo priuare, aut alio quouis modo disponere, & quòd non obstantibus quibuscunque monitionibus, excommunicationibus, vel interdictis, quæ a Papa ferri possunt, subditi tamen obedientiam pro temporalibus debitam Regi præstare teneantur, neque in ea per Papam dispensari, aut absolui queant*, verùm aduersus præfatam *tredecim Sacerdotum Anglorum*, quos supra [x]nominauimus, protestationē totidem ferè verbis acommodari posse: affirmabant enim illi Sacerdotes, *& scripto publico toti Christiano orbi*

u *In Codice liberat: eccles: Gallicanæ*

x *Sect: 1: post num: 6.*

testatum faciebant, Reginam Elizabetham, tunc temporis excommunicatam, & per sententiam Summi *Pontificis Pij* quinti regnandi authoritate priuatam, *non minus plena authoritate, potestate, & superioritate in eos, reliquosque omnes huius Regni subditos, quàm vnquam è maioribus suis quemlibet dominari: Et non obstante quauis authoritate, vel Excommunicationis sententia denunciata, aut denuncianda in suam Maiestatem, vel in eius subditos, qui a Maiestatis suæ, eiusque dominiorum defensione non recederent, se tamen, Laicosque omnes Catholicos, qui Maiestatis suæ ditionum sunt natiui, conscientiæ lege minimè astrictos esse, vt huic, aut huius generis Censuræ cuilibet parerent, sed ea non obstante se ad Principẽ, & patriam defendendam, omnemq́; in causis temporalibus suæ Maiestati obedientiam præstandam paratos, & ex debito sui officij obligatos esse.*

e Cap. 3. num. 2.

18 *Etenim, vt nullus detur subterfugiendi locus* (argumento vtor ipsius *Suarez* y) *interrogo, an Sacerdotes illi intelligant, sententiam Papæ deponentis Reginam baptizatam propter crimina*

Pars 2. *posse*

posse esse iustam, aut credunt semper esse iniustam. Primum, vt credo, non asserent, aliâs rem turpissimam promitterent, nimirum non parere sententiæ iustæ, quæ secum affert iustum præceptum. Nam si sententia iusta est, etiam erit iustum præceptum, quo illa a subditis seruari mandatur, cum aliter non possit exequutioni mandari. Item si sentẽtia depositionis lata a Papa contra Reginam esse potest iusta, etiam erit efficax, habet ergò effectum pœnæ, quam imponit, vnde cum pœna imposita per sententiam depositionis a Regno sit ipso facto priuare Reginam dominio, & proprietati Regni, sententia iusta efficaciter priuat regno, ergò contra iustitiam, & obedientiam debitam Papæ est resistere tali sententiæ, & defendere personam Regiam contra executionem talis sententiæ, ergò qui primum credit, & nihilominus hoc secundũ promittit, rem planè iniustã, & iniquã promittit. Et aliundè contradictionẽ inuoluit velle seruare obedientiã, & fidelitatẽ alicui, tanquã veræ Reginæ, quã scias per iustã declarationẽ, vel sententiã esse cum effectu a Regno depositam. Vt si Papa ipse exigeret a fidelibus promissionẽ, quod non obstante quacunq; sententia, vel

declaratione depositionis eius etiam propter crimen hæresis, à quocunq; Generali Concilio facta, eum defendet in sua Sede, eiq; eandem obedientiam, & fidelitatem præstabunt, promissio esset iniqua, quia esset de re iniqua, & Ecclesiæ, ac fidei contraria. Talis ergo est hæc promissio Sacerdotum, si dicta sententia contra Reginã iusta supponatur. Hoc ergo sine dubio non admittent Sacerdotes illi, neq; etiam opinor adeò esse suarum rerum iniquos æstimatoros, vt si concedant, sententiam à Papa latam contra aliquam Reginam esse posse iustam, nihilominus negent, contra Reginam Angliæ posse eandem tenere æquitatẽ. Quam enim maiorem immunitatem, vel innocentiam in Regina Angliæ, quàm in alijs Regibus, qui Romanæ Ecclesiæ rebelles, aut fidei desertores, & impugnatores fuerunt, allegare possunt? Aut licet pro eo tempore in Regina causam depositione dignam non agnoscant, vnde sciunt pro tempore futuro esse non posse, cùm tamen eorum promissio absolutè non obstante quavis authoritate, aut sententia Excommunicationis contra Reginã vel eius subditos denunciata, vel denuncianda loquatur? Non est ergo dubium,

quin fundamentū huius promiſſionis, atq; profeſſionis ſit, talem ſententiam non poſſe eſſe iuſtam. Hinc ergo euidenter concludimus, Sacerdotes illos per verba illa profiteri, ſententiam depoſitionis contra Reginam, neque validam, neque iuſtam eſſe poſſe, nam reuera hoc profitentur, cum promittunt tali ſententia non parere, nec illam ſeruare. unde vlterius concludimus, eoſdem profiteri, non eſſe in Pontifice poteſtatem ad talem ſententiam ferendam: quia non alia ratione credunt, ſententiam illam fore iniuſtam, niſi quia abſq; poteſtate, & iuriſdictione Papæ deponentis Reginam lata ſit. Nec poſſunt aliam rationem iniuſtitiæ in tali ſententia Sacerdotes allegare, aut prætendere, quæ perpetua ſit, & huic parti ſuæ profeſſionis fundamentum dare potuerit. Nam profeſſio eorum non loquitur de ſententia iam lata, ſed abſolutè de ſententia facta, vel facienda contra Reginam, comprehendit ergo omnem ſententiam, ſiue feratur audita parte, ſiue non audita, ſiue propter diſparem religionē, ſiue propter quæcunq; alia crimina, vel aliam cauſam. Ergo iniuſtitia, quam in illa ſententia Sacerdotes ſupponunt, & in qua fundarunt illam profeſſionem, non

est, nisi quia credunt, non posse à legitima potestate & iurisdictione manare. Concludo igitur, in illis verbis non tantùm contineri ciuilem obedientiam, sed etiam professionem huius erroris, quòd Papa non habeat potestatem, & iurisdictionem ad ferendam contra Reginam depositionis sententiâ quacunq; ex causa, *ac subinde non esse veram illam Sacerdotum propositionẽ*, nempe, obedientiam illam, quam Summo Pontifici ex lege diuina præstare tenentur, cum obsequio illo, quale suprà professi sunt, in Principem suam temporalem, rectè posse consistere. *Et inde vlteriùs infertur, peccasse grauissimè Sacerdotes illam professionem faciendo. Nam profitentur, & reliqua quæ in Suarez sequuntur*. Ita arguit *Suarez*. Sed quòd non sit error profiteri, Papam non habere potestatem Principes supremos deponendi, iam supra contra *Suarez* ostendimus.

19. *Secundò, Suarez* [z] contra vltima verba huius paragraphi, *in quibus petitur Iuramentum specialis promissionis reuelandi omnem proditionem his verbis*. [Omnemque operam impendam re-

[z] *Cap.2.nu.7. & 8.*

uelare &c.] duas conficit obiectiones: Prima est, *quòd tametsi hæc promissio, si verba eius in simplici, ac proprio sensu sumantur, honesta sit, nihilq́ue contineat, quod vel fidelitatem ciuilem excedat, vel sanæ doctrinæ repugnet: (Proditio enim grauissimum crimen contra Principem, vel Rempub: læsæ Maiestatis significat, huiusmodi ergo proditiones, & proditorias conspirationes, etiam seclusa speciali promissione tenentur subditi reuelare Regibus suis legitimis, tum ex lege charitatis, & pietatis, ac obseruantiæ erga illos, tum etiam ex titulo subiectionis, & fidelitatis, quam ex ipsa lege naturæ ratione illius subiectionis suo Principi debent, ideoq́ue hanc obligationē promissione, & iuramēto firmare, & augere honestum, & sanctum est): Nihilominus nomine proditionis Rex non intelligit tantùm illam, quæ verè, & in reipsa proditio est, sed etiam omnem illam, quæ suo iudicio, & iuxta præcedentium clausularum errores proditio existimatur. Itaque etiamsi Rex sit per Pontificem legitimè depositus, & subditi sint à vinculo iuramenti, & obedientiæ Regi debitæ per eundem Pontificem legitimè liberati, & absoluti, omnem Regni, vel*

Reipublica, aut Subditorum conspirationẽ ad depellendum Regem, seq; ab eius tyrannide (si fortè eam exercet) liberandã, vocabit Rex proditionem, & proditoriam conspirationem, cum tamen reuerà talis non sit, sed iusta defensio; vel iustum bellũ, aut supplicium. Intelligendo ergo proditionem in hoc sensu, iniusta est talis promissionis exactio, & turpe esset, ac sacrilegum illam iurare, tum quia illa, vt dixi, non est proditio, nam in eo casu potius est seruanda fides Reipublicæ, seu communitati Subditorum vi oppressorum, quàm tyranno, qui illos iniustè premit, cum verè iam non sit Rex; tum etiam quia tunc obligat naturale secretum, sub quo notitia talis conspirationis habetur, quia est de re iusta, & necessaria ad commune bonum communitatis, quæ iustè se defendit, ideoq; promissio illi secreto contraria neq; obligat, neq; potest esse honesta, ac proinde neq; sanctè iurari potest. Quocirca licet illa verba per se spectata & solitariè, vt sic dicam, sumpta possent suspicione carere; nihilominus vt coniuncta præcedentibus cauenda sunt, quia hic posterior sensus videtur maximè à Rege intentus.

20. Sed hæc *obiectio* facillimè di-

luitur, ad eã enim dissoluẽdã non alia opus est Responsione, quàm quæ ad præcedentem obiectionem à nobis allata est. Nam supposito, quòd *Papa* non habeat potestatem *Regem* deponendi, & consequenter neque subditos ab eorum fidelitate *Principi* suo legitimo ex lege *Christi*, & naturæ debita absoluendi, necessario consequitur, tales omnes proditiones, & proditorias cõspirationes, quę in falsa illa suppositione, quòd *Rex* authoritate *Pontificis* Regno priuari possit, fundantur, esse vera & propriæ proditionis, & perduellionis crimina; & propterea sicut subditi agnoscere, & profiteri licité possunt, penes Summum *Pontificem* non esse potestatem *Principes* deponendi, ita etiam iureiurando profiteri illis licitum erit, se tales proditiones, & proditorias conspirationes, quæ falso illi principio innituntur, detecturos esse. Atque in hoc etiam sensu *tredecim* illi *Sacerdotes Angli* nomina *conspirationum, inuasionum, & conatuũ, ac incursionũ quarũcunq; hostiliũ* intellexrũt quando publico, ac solẽni instrumento protestati

sunt, *se, non obstante quauis authoritate, aut Excõmunicationis sententia in Maiestatem suam, vel in eius subditos, qui à Maiestatis suæ, eiusque Dominiorum defensione non recederent, denunciata, aut denuncianda, quascunque conspirationes aut consilia, quæ à forinseco Prælato, Principe, vel Potentatu quibuscunq; contra Maiestatis suæ*, tunc depositæ, & per sententiam *Pij quinti* regnandi iure priuatæ, *personam aut Dominia, quauis de causa vt supra dictum est. fieri poterunt, tum detecturos, palamq; facturos, tum eisdẽ pro viribus restituturos, sed & Catholicis omnibus, vt idem faciant (quantum in ipsis erit) vehementer authores futuros esse.*

a Cap. 3 nu. 9.

21. Secunda obiectio est, quia *promissio de detegendis proditionibus*, ait *Suarez*, [a] *videtur fieri, etiamsi per confessionem sacramentalem comparata sit: hanc enim fuisse mentem Regis, & eorum, qui formam illam iuramenti ediderunt, inde colligi potest, quòd apud illos nulla est sacramentalis Confessio, & sigillum confessionis pro nihilo ducunt, nullumq; discrimen inter illam notitiam, & quamcunque aliam constituunt. Cum*

igitur in formula Iuramenti Rex Angliæ promissionem à subditis exigit reuelandi omnes proditiones, quæ ad eorum notitiã peruenerint, meritò timere possunt, immò & credere Catholici sine vlla distinctione id postulari, siuè notitia illa sit per confessionem, & siue reuelatio proditionis fiat cum reuelatione proditoris, siue cum morali eius periculo, siue quocunque alio modo. In quo sensu etiam illa forma excedit obedientiam ciuilem, & aliquid contra Religionem Catholicam inuoluit. Ideoque etiam ex hac parte Iuramentum illud est valdè suspectum, ac propterea meritò possunt Catholici, & prudentes viri maiorem illius declarationem exigere, quamuis propter alias causas simpliciter illud recusare teneantur.

22. Ad hanc obiectionem *Respondetur*, huiusmodi argumentandi modum, quo Iuramenti impugnatores vti solent, non esse vllatenus approbandum: videlicet, *Rex noster Serenissimus credit, se esse supremum in hoc Regno tam in causis Ecclesiasticis, quàm in ciuilibus Gubernatorem, igitur per illa verba,* Supremus Dominus noster Rex, *subditos obligare intendit, vt idem*

quoque in hoc Iureiurando agnoſcant. Similiter credit Rex, non eſſe in Summo Pontifice poteſtatem illum excommunicandi, igitur compellere vult ſubditos, vt idem in hoc Iureiurando affirment. Præterea credit Rex, leges illas iuſtas eſſe, in quibus ſancitum eſt, quòd natiui huius Regni ſubditi, qui in partibus tranſmarinis authoritate Romani Pontificis ſacris initiati poſteà in regnum reuertuntur, & qui eidē Romano Pontifici recōciliati fuerint, pro proditoribus habeātur, & quòd tales reuerſiones, & reconciliationes proditiones reputentur, & ordinarijs perduellionum pœnis puniantur, igitur in hoc quoque Iuramento ſub nomine proditionum, illas Sacerdotum reuerſiones, & reconciliationes comprehendere voluit. Negamus enim, *Maieſtatem Regiam* ſubditos ſuos compellere voluiſſe, vt in hoc Iuramento omne illud profiteantur, quod ipſe verum eſſe credit, vel vt aliud in hoc Iuramento polliceantur, aut præſtent, quàm quod quilibet Catholicus tuta conſcientia ſpondere, & præſtare poſſit, ſed tam *Rex*, quàm *Parliamentum*, ſcriptis publicis expreſsè declararunt, ſe illā duntaxat

fidelitatis promiſſionem in hoc iureiurando à ſubditis poſtulare, quā fidelis quiſque ſubditus ex lege *Chriſti*, & naturæ *Principi* ſuo legitimo exhibere tenetur. Conſtat autem ex approbatis leges interpretandi regulis, quas ipſemet *Suarez* alibi [b] recenſet, verba legū, ſi forte ambigua ſunt, ita interpretanda eſſe, *vt quoties verborum proprietas induceret iniuſtitiā, vel ſimilem abſurditatem circà mentem Legiſlatoris, trahenda ſint verba ad ſenſum etiam improprium, in quo lex ſit iuſta, & rationabilis, quia hac præſumitur eſſe mens Legiſlatoris, vt multis iuribus declaratum eſt*, in ff. tit. de Legibus. *Nam in ambigua voce Legis, ait Lex,* [c] *ea potiùs accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret, præſertim cum etiam voluntas Legis ex hoc colligi poſsit; Quoniam præſumi non debet, mentem eſſe Legiſlatoris, aliquod abſurdum, vel inconueniens præcipere, niſi contrarium euidenter appareat.*

b. *In Diſput. cap.* 1.

c Leg. *in ambigua ff. de leg.*

23 Quapropter neque *Rex* ipſe, neque *Parliamentum*, Sacerdotes Catholicos cogunt, vt ea, quæ in Sacramentali confeſſione acceperint,

suæ Maiestati detegant, nisi quantum ex lege *Christi*, & iuxta Religionis Catholicæ, quam profitentur, principia illis permittitur. Et propterea de industria fortasse, ne vllam Catholicis, si fieri posset, iuramentum istud improbandi occasionem præberent, subditos in hoc Iuramento tantùm compellunt, vt polliceantur, *se omnes proditiones, & proditorias conspirationes detecturos esse*, & nullam prorsus de reuelandis proditoribus mentionem faciunt: Res autem clara, & apud Theologos confessa est, non esse vetitum Sacerdotibus eas proditiones detegere, de quibus per Confessionem Sacramentalem notitiam habuerunt, & de reuelandis proditoribus ne verbum quidem in hoc Iuramento habetur: sed quantum, & qua ratione teneantur Sacerdotes celare proditorem, quem talem esse solùm in confessione nouerint, vel non detegere proditionem, quando periculum est, ne proditor simul detegatur, alia est quæstio, de qua in hac Iuramenti clausula nulla fit mentio. Videant ipsi Sacerdotes, qui Iuramentum suscipere

constringnntur, & si fortè huius clausulæ sensum suspectum habeant, maiorem illius declarationem exigant: satis est, hanc obiectionem, quam *Suarez* adducit, ad Laicos, pro quibus potissimùm hæc Iuramenti formula à *Parliamento* excogitata est, nequaquã pertinere, & proinde ipsi, hac obiectione non obstante, Iuramentum istud suscipere tutâ conscientia possunt. Et profectò *tredecim* illi *Sacerdotes Angli*, qui Reginæ *Elizabethæ* per publicũ instrumentum protestati sunt, *se omnes Conspirationes in* Maiestatis suæ *personã & dominia detecturos esse*, optimè norunt, nullam esse apud *Protestantes* Sacramentalem Confessionem, & sigillum confessionis se pro nihilo ducere, & nihilominus nequaquam dubitarunt, se ex prædicta de conspirationibus quibuscunque reuelandis promissione, Catholicæ religioni, quam ibi quoque professi sunt, quicquam derogasse.

SEC. 6.

SEC. 5.

Argumenta SVAREZ *contra* Tertiam *Iuramenti partem dissoluuntur; & quomodo hæc pars nihil præter ciuilem obedientiam* principibus *Christianis debitam contineat, declaratur.*

1. QVod ad *tertiam* Iuramenti partem attinet, quæ incipit ab illis verbis, *Præterea Iuro* &c. *Suarez* tria expendit, [a] *primum, doctrinam ipsã, secundum, quo iure, hoc iuramentum a subditis exigatur, tertium, quantum hæc verba illis repugnent, quibus Rex promittit ostendere, nihil in hoc Iuramento præter ciuilem obedientiam contineri* *Circa primum*, postquam *Suarez* longo & prolixo discursu de Tyrannis licitè, aut illicité occidendis tractaverat, in quo periculosam, scandalosam, nouam, ac desperatã doctrinam tradit, quam superiùs [b] retulimus, quamque ait esse *veram*, & *certam*, asserit, [c] *ex hac*

b *Part.* 1. *sec.* 9. *nu.* 2. *& seq.*
c *Cap.* 4. *nu:* 20.

Pars 2.

hac vera, & certa doctrina manifestè conuinci, tertiam partem Iuramenti ex varijs capitibus excessum potestatis, iniustitiam contra bonos mores, & errorem contra veram, & Catholicam doctrinã continere. Primum probo, nam qua authoritate cogit Rex suos subditos ad iurandum, vt hæreticam propositionem, quam Ecclesia Catholica hactenus non damnauit? Si enim Rex dicat, esse damnatam in Concilio Constantiensi, inprimis non potest constanter hoc dicere, cum authoritatem Conciliorum præsertim modernorum pro nihilo habeat. Deinde vbi legit in Concilio Constantiensi particulam illam, Principes per Papam excommunicati, vel depriuati? *aut illam,* per suos subditos, aut alios quoscunque? *Cum ergo hæ particulæ additæ illi propositioni reddant illam, & sententiam eius longè diuersam, fallaci, & illusoria illatione talis propositio Concilio tribuitur. Quod si non Concilij authoritate, sed sua Rex damnat propositionem illam, excedit procul dubio, & abvtitur potestate, quam non habet. Et prætereà mirabile est, quòd sæpè contemnat Papæ potestatem ad definiendas res*

fidei, & ipse illam sibi audeat arrogare; nam licet verbis hoc non dicat, facto profitetur. Nam alibi gloriatur in eadem Apologia, se non cudere nouos fidei articulos more Pontificum. Denique cùm ipse nihil putet, esse de fide, nisi quod in Scriptura continetur, oportet, vt nobis ostendat in Scriptura, vbi sit illa propositio vt hæretica damnata, vel contraria diuinitùs reuelata. Certè licet Paulus dixerit, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, *nunquam addidit,* etiã potestatibus excommunicatis, vel depriuatis à *Papa* omnes subditi sint, *neque vnum ex alio colligi potest, cùm* sint longè *diuersa, ne dicam, veluti opposita: Nam Rex depriuatus iam non est sublimior potestas. Atque hinc vlterius concludo, professionem illius Iuramenti quoad hanc partem esse quandam confessionem Regiæ authoritatis, & potestatis, tum ad damnandas propositiones vt hæreticas ad libitum suum, tum ad proponendum fidelibus authenticè quid credere de fide debeant, vel tanquam hæreticum protestari, quod ex parte Regis est excessus, & vsurpatio potestatis spiritualis, & ex parte profitentium tale*

Iuramentum est quædam virtualis professio falsæ fidei.

2. *Præterea,* [d] *ex ipsis verbis apertissimè constat, Regem in hoc iuramento non solum obedientiam ciuilem, seu iuramentum eius exigere. Nam sub iuramento detestari propositionem aliquam vt hæreticam, planè excedit obedientiam ciuilẽ, quæ est longè inferioris ordinis à Christiana fide. Maximè quando tale præceptum nouum est in Ecclesia, ita vt Rex non solùm cogat Christianum subditum ad detestandam propositionem aliàs damnatam ab Ecclesia (quod interdum potest facere Catholicus Rex modum debitum seruando) sed etiam cogat ad detestandam propositionem, quam ipse denuò sua authoritate condemnat, vt nunc Rex facit. Vnde satis etiam probatum relinquitur, iniustum esse hoc iuramentum ex parte Regis, quia multis modis excedit potestatem suam, & ita est violenta coactio, & alienæ Iurisdictionis vsurpatio. Ex parte verò fidelium est iniustum illud acceptare, vel generali ratione, quia vel iurarent rem illicitam, vel mendacium; nam si credant esse hæreticã propositionem illam propter solam Regis authoritatem, vel*

d Num: 21.

propter hoc solum damnabile est, multòq; magis, quia propositio illa, quæ sic damnatur, verissima est, & ex veris principijs fidei certa, vt in libro tertio probatum est. Si autem abiurent exteriùs talem propositionem, quam mente non credunt esse hæreticam, manifestum periurium committunt, vt per se notum est. Et vltra hoc continet talis propositio specialem, & propriam iniuriam contra Pontificem, cuius potestatem, & obedientiam propter timorem humanum abnegant.

e Num. 22. 3. *Tandem facilè intelligitur* [e] *ex his, partem hanc Iuramenti doctrinam etiã erroneam inuoluere. Vnus error est, in Pontifice non esse potestatem ad deponendum Regem hæreticum, vel schismaticũ, & Regnum suum ad idem schisma, vel eandem hæresim pertrahentem, vel peruertentem. Huius enim erroris professio præcipuè, magisque directè per illa verba fit, quàm per alia, vt cuilibet legenti statim patebit, & in superioribus multipliciter est probatum. Alter error minùs quidem verbis expressus, in ipsa verò sententia latens, & virtute contentus est, in his, quæ ad fidei doctrinam, & detestationem hæresum pertinent, posse temporalẽ*

Regem fidẽ etiam iurat à ã subditis exigere. Immò etiam in hoc esse præferendam sententiã Regis sententiæ Pontificis, Quæ sanè virtualis quædam professio est Primatus Regis temporalis in spiritualibus, seu Ecclesiasticis; nihil enim maius est in Petri Primatu, nec magis ad conseruationem Ecclesiæ, eiusque vnionem necessarium, quàm in proponendis rebus fidei, & hæresibus damnandis suprema authoritas, quam in illis verbis sibi Rex Angliæ arrogat, ergò professio talis iuramenti est manifesta schismatis, & erroris professio, tenentur ergò veri Catholici in conscientia illud respuere.

4. Ad primam huius obiectionis partem, duæ superiùs in hac *disputatione*[f] Responsiones à me allatæ sunt: *Prima* est, doctrinam illam, & positionem, quæ in hac iuramenti clausula continetur, esse reuerà hæreticam, nempe *quòd sit in libera Subditorum, aliorumuè quorumcunque potestate Principes per Papam excommunicatos, vel depriuatos deponere, aut si velint, occidere.* Hunc enim verum, & genuinum iuxta communem, & genuinam Anglicani nostri Idiomatis intelligentiam

[f] *Cap. 5. sec. 2.*

propter hoc solum damnabile est, multòq; magis, quia propositio illa, quæ sic damnatur, verissima est, & ex veris principijs fidei certa, vt in libro tertio probatum est. Si autem abiurent exteriùs talem propositionem, quam mente non credunt esse hæreticam, manifestum periurium committunt, vt per se notum est. Et vltra hoc continet talis propositio specialem, & propriam iniuriam contra Pontificem, cuius potestatem, & obedientiam propter timorem humanum abnegant.

e Num. 22. 3. Tandem facilè intelligitur [e] ex his, partem hanc Iuramenti doctrinam etiã erroneam inuoluere. Vnus error est, in Pontifice non esse potestatem ad deponendum Regem hæreticum, vel schismaticũ, & Regnum suum ad idem schisma, vel eandem hæresim pertrahentem, vel peruertentem. Huius enim erroris professio præcipuè, magisque directè per illa verba fit, quàm per alia, vt cuilibet legenti statim patebit, & in superioribus multipliciter est probatum. Alter error minùs quidem verbis expressus, in ipsa verò sententia latens, & virtute contentus est, in his, quæ ad fidei doctrinam, & detestationem hæresum pertinent, posse temporalẽ

Regem fidẽ etiam iurat à ã ſubditis exigere. Immò etiam in hoc eſſe præferendam ſententiã Regis ſententiæ Pontificis. Quæ ſanè virtualis quædam profeſſio eſt Primatus Regis temporalis in ſpiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis; nihil enim maius eſt in Petri Primatu, nec magis ad conſeruationem Eccleſiæ, eiuſque vnionem neceſſarium, quàm in proponendis rebus fidei, & hæreſibus damnandis ſuprema authoritas, quam in illis verbis ſibi Rex Angliæ arrogat, ergò profeſſio talis iuramenti eſt manifeſta ſchiſmatis, & erroris profeſſio, tenentur ergò veri Catholici in conſcientia illud reſpuere.

4. Ad primam huius obiectionis partem, duæ ſuperiùs in hac *diſputatione*[f] Reſponſiones à me allatæ ſunt: *Prima* eſt, doctrinam illam, & poſitionem, quæ in hac iuramenti clauſula continetur, eſſe reuerà hæreticam, nempe *quòd ſit in libera Subditorum, aliorumuè quorumcunque poteſtate Principes per Papam excommunicatos, vel depriuatos deponere, aut ſi velint, occidere.* Hunc enim verum, & genuinum iuxta communem, & genuinam Anglicani noſtri Idiomatis intelligentiam

f Cap. 5. ſec. 2.

illius positionis, [*Quòd Principes per Papam excommunicati &c.*] sensum esse ibidem perspicuè commonstrauimus. Atque vt positionem illam ita intellectam esse hæreticam, & sacris literis apertè contrariam probaremus, duo illa sacræ Scripturæ loca adduximus, *Non occides* [g]: *Ne interficias eum, quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit* [h]. Et tametsi *Suarez*, quod ad hanc doctrinam, meo quidem iudicio, neque veritati, neque prudentiæ satis consonam, de *Principibus* authoritate Papali occidendis spectat, multò liberiùs, quàm alius quispiam ante eum, quem legi, mentem suam effuderit, non tamen existimo, eum omnis prudentis consilij adeò expertem esse, vt affirmare audeat, sententiam vel excommunicationis, vel depriuationis contra *Principem* quemcunque à Summo *Pontifice* latam, cuicunque priuato facultatem tribuere talem *Principem* occidendi, cùm *Excommunicatio*, quæ spiritualis Censura est, Ecclesiastica duntaxat fidelium communione, *depriuatio* autem (tametsi potestatem

g Exod. 20.

h 1. Reg. 26.

Principes depriuandi Summo *Pontifici* concederemus) regnandi tantùm iure, & non viuendi priuet. Neque vt prædicta propositio hæretica sit, necesse est, quòd in sacris literis exprimatur, *Non occides, vel ne interficias Principem per Sacerdotes, aut Pontifices excommunicatum, vel depriuatum*; Satis enim est, quamcunque occisionem illicitam esse, & isto Decalogi præcepto interdictam quæ vel in alijs Scripturæ locis non approbatur, vel quæ ab Ecclesia licita esse, & diuinæ legi consona non declaratur. Si igitur *Suarez* affirmare velit, quod sanè affirmaturum vix credo, prædictam positionem, *Quòd Principes per Papam excommunicati &c.* in hac tertia Iuramenti parte contentam, non esse hæreticam, oportet vt nobis aperiat, vbinam Ecclesia cuilibet facultatem tribuat, Principem per Papam excommunicatum, vel depriuatum occidendi, cùm *Excommunicatio*, vt diximus, sacra tantùm communione, *depriuatio* autem temporali tantùm Regno, non vita corporali priuet.

5. *Secunda responsio*, quam ad præ-

Sec. 5. fatam

fatam obiectionem diluendam ibidē adduximus, erat, nos in hac clausula non iurare, prædictam positionem esse hæreticam, sed nos eam duntaxat tanquam hæreticam abiurare, in eo sensu quem ibi declarauimus; Quæ etiam Responsio hanc obiectionem à *Suarez* allatam satis quidem perspicuè, vt mea fert opinio, dissoluit.

6. Quapropter, neque *Maiestas Regia* in hac Iuramenti parte potestatem sibi aut verbis, aut facto arrogat, ad nouos fidei articulos cudendos, ad propositiones vt hæreticas ad libitum suum damnandas, aut ad proponendis fidelibus authenticè quid credere de fide debeant, vel tanquam hæreticum protestari, vt *Suarez* falsò &, per iniuriam illi imponit: esset enim procul dubio potestatis ciuilis excessus assumere sibi authoritatem ad res fidei de nouo definiendas, sed Subditos suos temporalibus duntaxat pœnis, & modo Reipublicæ ciuili accommodato compellit, vt illam positionem vt hæreticam abiurent, quæ vt hæretica, & verbo Dei repugnans ab omnibus Catholicis iudicatur; quod

ſanè *Prrinceps Chriſtianus* ad pacm publicam in ſuo Regno conſeruandam, & ad Eccleſiam, cuius protector a Deo conſtitutus eſt, ab imminentibus malis defendendam licitè efficere poteſt, vt ſupra [i] etiam explicauimus, & ipſemet *Suarez* non obſurè inſinuat, quando ait, *poſſe interdum Regem Catholicum, modum debitum ſeruando cogere Chrſtianum ſubditum ad deteſtandam propoſitionē aliàs damnatam ab Eccleſia.* Et propteceà neque ex parte Regis eſt exceſſus, & vſurpario ſpiritualis poteſtatis, neque ex parte profitentiumtale Iuramentum eſt quædam virtualis profeſſio falſæ fidei, vt *Suarez* immeritò affirmat.

i *In Diſput: cap: 6. ſec: 3. & in hac Append: part: 1: ſec: 8. nu: 14.*

7 Hinc etiam Reſponſio ad ſecundam Iuramenti partem ſatis clara eſt, cum ſolùm prioris obiectionis repetitio ſit: Neq; enim Rex cogit ſuos ſubditos, vt abiurent propoſitionem vt hæreticam, quæ verè talis non habetur, neque ſubditi credunt eſſe vt hæreticam, propter ſolum Regis authoritatem, ſed quoniam in ſacris literis ita reuelatum eſt, & ſemper ab Eccleſia abſque vlla contradictione

intellectum. Et quod Papa non habeat potestatem Principes deponendi, morali credulitate, seu fide humana credunt, propter authoritatem plurimorum Catholicorum doctrina, & pietate insignium, qui idem sentiunt; Neque *Suarez* in *tertio* suo libro, ad quem lectorem toties remittit, vlla solida ratione, vel authoritate contrariũ demonstrauit, vt cuilibet Responsiones meas attentè perlegenti statim apparebit.

8 *Ad tertium punctum*, in quo etiam nihil fere asserit, quod in superioribus non repetierat, nos quoque iam satis respondimus, videlicet, non abiurari vt hæreticam doctrinam, & positionem illam, *Quòd Principes hæretici, aut schismatici non possint authoritate Papali deponi*, sed quòd Principes per Papam excommunicati, vel depriuati non possint a suis subditis, aut alio quocunque deponi, & occidi, vt in ipsomet *Suarez* expresse habetur. Neque error est profiteri, posse interdum Regem Christianum fidem etiam iuratam a subditis exigere, vt paulò superiùs diximus, & *Suarez* disertis

verbis affirmat, quandoquidem res ſpirituales, ſaltem quâ temporales, & ad pacem temporalem in Republica tuendam neceſſariæ ſunt, temporali Chriſtiani Principis poteſtati ſubditæ ſint, a quo pænis temporalibus puniri, & proinde præcipi, aut prohiberi poſſint, cum in quacunque lege vis coercitiua puniendi vim directiuã præcipiendi, aut prohibendi ſupponat. Neque ſubditi Catholici ſententiam Regis Summi Pontificis ſententiæ anteponunt, ea ſolùm de cauſâ, quòd Rex ita ſentiat, ſed quoniam in re diſputabili opinionem probabilẽ etiam contra probabiliorem Summi Pontificis ſententiam licitè, tutaque conſcientiâ, donec contraria ab Eccleſia definita ſit, ſequi poſſint. Quoniam igitur Iuramentum iſtud nullam hæreſim, errorem, aut aliud illicitum in ſe comprehendit, non tenentur veri Catholici in conſcientia illud reſpuere, ſed illud tutò ſuſcipere queunt. Et tametſi *ſua Sanctitas* illis præceperit, ne illud ſuſcipiant, cum tamen præceptum eius merè declaratiuum ſit, & vel in falſa informatione, vel ad ſum-

mum in probabili opinione fundatum, illi contradicere neque error, neque schisma, quicquid *Suarez* satis temere affirmet, æstimari debet, vt superiùs [k] in nostra Disputatione ex doctrina ipsius *Suarez*, & *Gabrielis Vasquez* copiosiùs commonstrauimus.

k *Cap: sec: 2.*

SEC. 6.

Quarta, *& vltima Iuramenti pars expenditur, & argumenta contra eam a* Suarez *allata dissoluuntur.*

1 QVod attinet ad *quartam*, & vltimam Iuramenti partem, prout a *Suarez* diuiditur, quæ incipit ab illis verbis, *Et vlterius credo, &c.* vsque ad finem, *Suarez* affirmat [a] *in ea ferè eosdem errores repeti, & ideò vix aliquid addendum circa illam superesse. Quia verò partim declarãtur, & exaggerantur magis, partim etiam prauitas Iuramenti augetur, singula breuiter*

a *Cap. 5. nu: 1.*

ter notanda, & ita exponenda ſunt vt ab omnibus facile intelligantur. Primò ergò iterum abiuratur Pontificis authoritas, & poteſtas his verbis, Et vlteriùs credo, & in conſcientia mea reſoluor, quòd nec Papa, nec alia perſona quæcunque poteſtatem habeat me ab hoc Iuramento, aut aliqua eius parte abſoluendi. *In his verbis appertè affirmatur hæc propoſitio,* Papa non poteſt ſubditos Regis temporalis a Iuramento fidelitatis abſoluere. *Quia quod de hoc Iuramento affirmatur, non eſt propter peculiarem eius rationem, nec propter dignitatem, quæ in Rege Angliæ maior ſit quam in alijs temporalibus Regibus vt eſt per ſe notum, & Rex ipſe in ſua Præfatitione apertè profitetur. Cum autem dicitur,* Papa non poteſt, &c. *intelligitur ſimpliciter id eſt, nullo modo, nulla ex cauſa, in nullone caſu, hoc enim ſignificant illa verba ſecundum planum, ac communem ſenſum, & intellectũ eorum, quomodo vult ipſe Rex paulò inferiùs verba huius Iuramenti accipi. Præterquam quod ex fine Iuramenti, & ex prima eius parte ſatis clarum eſt, hanc eſſe Regis mentem.*

b Num: 2. 2 *Sic autem propositio* [b] *illa hæretica est, quia est contra potestatem ligandi, & & soluendi datam Petro, prout illam semper intellexit, & exercuit Catholica Ecclesia. Sic enim subditi hæretici cuiuscunque eo ipso, quod per sententiam legitimam publicè denunciatur hæreticus, à iuramento fidelitatis absoluuntur ex decreto Gregorij noni in cap: vltimo de Hæreticis: illiusque pœnæ & potestatem, & iustissimam rationem explicat* D. Thomas 2.2 q. 12. ar. 2. *Simili modo absoluitur quis à vinculo Iuramenti Fidelitatis præstiti Domino, qui publicè excommunicatus, ac denunciatus est per Vrbanum secundum* in cap: vltimo, 15. q. 6. *Et Gregorius septimus cum Romana Synodo,* in cap: Nos Sanctorũ ibidem. *Vbi non omninò, & simpliciter vinculum Iuramenti tollitur, sed quasi suspenditur pro eo tempore, pro quo excommunicatus in Censura contumax perseuerat. Quod secus est, quando Rex, vel Princeps propter hæresim, vel alia crimina deponitur, & priuatur regni dominio, tum enim tollitur, & quasi irritatur iuramentum, eius materia substracta. Atque hoc modo Innocentius quartus*

cum Concilio Lugdunensi absoluit à Iuramento Fidelitatis vasallos omnes Imperatoris Friderici, & alia exempla supra posita sunt, quibus antiquus, & vniuersalis sensus Ecclesiæ ostenditur, qui est optimus Scripturæ interpres. Nam si de consuetudine humana dicunt omnia Iura, esse optimam Legum humanarum interpretẽ, cur legis à Christo latæ, & potestatis ligandi, & soluendi ab eodem, Petro traditæ non erit optima interpres, vniuersalis, & antiquissima Ecclesiæ consuetudo, & talis potestatis vsus? Quam potestatem ijdem Pontifices, qui illa vsi sunt, summa authoritate, & doctrina defenderunt. Præsertim Gregorius septimus, lib. 8. Regist. Epist. 21. & Innocentius tertius in Epist. ad Ducem Caringiæ in cap: Venerabilem de electione. & Bonifacius octauus in Extrauag: vnam sanctã, de Maiorit: & obedientia.

3 *Quod si Rex propositionem* [c] *hanc in Scriptura fundatam, Pontificum, & Conciliorum authoritate declaratam, & communi hactenus consensu receptam non credit, quo iure, quaue authoritate cogere vult omnes subditos suos ad contrariam falsitatem credendam, & ore affirmandã,*

c Num: 3.

& iuramento firmandam? aut quomodo possunt ipsi in conscientia resolui, vt in Iuramento dicitur, ad credendum, & iurandum sine alia ratione, vel motiuo? Nisi credant, maiorem authoritatem habere solum Regē cum suis Ministris ad suum errorem confirmandum, eiusq; fidem exigendam, quàm habuerit Romana, & vniuersalis Ecclesia cum Pontificibus Summis tam constanti traditione, & consensu id tradentibus. Quòd si hoc Rex intendit, & ad hanc fidem suos obligat, fateatur necesse est, se in hoc Iuramento non pro temporali tantùm Iurisdictione, sed pro Primatu spirituali pugnare.

d Cap: 5. nu. 4.

4 *Quod alio etiam modo euidenter* [d] *declaro: nam contra rationem naturalem est dicere, non posse quempiam absolui à promissione Iuramenti confirmata per materiæ mutationem, illam auferendo, & quasi irritando. Nam licet quis Iuramento promiserit reddere depositum, si alter cedat iuri suo, depositarius iuramento absoluetur. vnde si talis mutatio per superiorem potestatem fiat, æquè tolletur fidelitatis obligatio. Quod etiam Tryphon I: C. agnouit in L: bona fide ff: depositi, dicens, Si quis accepit depositum*

ſub fide reddendi illud Domino, & Dominus poſtea à Pratore damnatus ſit, eiuſq; bona fuerint publicata, liberari depoſitarium à fide reddendi depoſitum eidē Domino, & in publicum illud deferri debere. Quia vt infra dicit, Ratio iuſtitiæ poſtulat, vt fidelitas ſeruanda in contractu, non ſit ſpectanda ex ſolo reſpectu inter contrahentes, ſed etiam reſpectu aliarum perſonarum, ad quas id, quod geritur, pertinet. *Quod maximè verum eſt, vbi authoritas Superioris, & publicum bonum intervenit. Neque dubitabit, vt opinor, Rex similem poteſtatem in Regno ſuo exercere, ſubditum, verbi gratia, in crimine læſa Maieſtatis inuentum bonis priuando, & conſequenter actiones omnes, ſeu promiſſiones omnes illi factas vel in ſe, aut fiſcum ſuum transferendo, vel certe omninò eas ſimpliciter irritando, ſeu debitoribus condonando, vel remittendo; ex quo neceſſariò ſequitur, vt licet eſſent iuramento confirmata, debitores à iuramento abſoluti maneant. Ergo negari non poteſt, quin hic modus abſoluendi à Iuramento honeſtus, & validus eſſe poſſit, ſi in abſoluente ſit poteſtas vel de materia Iuramenti, vel*

de iure Creditoris, seu Domini, aut promissarij disponendi. Ergo vel potestas absoluendi vasallos à iuramento facto Regi hæretico, vel pernicioso subditis Christianis, iniustissimè, & contra omnem rationē negatur Summo Pontifici, vel non ex alio fundamento negatur, nisi quia non creditur habere potestatem ad coercendos, & puniendos Reges temporales. Et ita hæc pars ad superiores revocatur, & apertè continet professionem erroris contra Primatum Pontificis, & assertionem hæreticam de Primatu Regis, eiusq; absoluta exemptione ab obedientia Pontificis, maximè quoad vim coactiuam per temporales pœnas.

5. Denique, *Non omittam aduertere* [e] *(quia Rex non generatim de Iuramento, sed de hoc Iuramento loquitur) in vero, & Catholico sensu, menti tamen Regis contrario, dici potuisse, neminem posse ab illo Iuramento iurantem absoluere, quia videlicet, nemo absolui potest propriè, qui ligatus non est, illud autem Iuramentum non ligat iurantem, quia non potest Iuramentum esse vinculum iniquitatis, quale illud esset, & ideo nemo potest ab illo solui. Nihilominus tamen potest declarari*

e Num. 5.

clarari absolutus, seu non ligatus, quod speciali authoritate potest facere Pontifex, satisq; id fecit, quando declarauit Iuramentum esse illicitum, & æternæ saluti contrarium. Inde enim non solùm sequitur, non esse præstandum, sed etiam si factũ sit, non esse obseruandũ. Unde fit etiam, vt in alio sensu possit Pontifex ab illo Iuramento iam facto absoluere, id est, à peccato, in talis Iuramenti exhibitione commisso, dummodo digna illius pœnitentia, tànquam necessaria dispositio præcedat.

6. *Secundò, in eadem parte fit confessio*[f] *supremæ potestatis Regiæ in spiritualibus, eiusq; exemptione à Summo Pontifice his verbis.* Quod Iuramentum agnosco recta, ac plena authoritate esse mihi legitimè ministratum. *Et postea his verbis Iuramento confirmatur,* Hæcque omnia planè, & syncerè agnosco, & iuro. *Quòd enim illa confessio in verbis illis contineatur, constat primò ex illis particulis,* plena authoritate; *quamuis enim ex industria vox* [suprema] *vitata sit, ne fortè simpliciores deterreret, nihilominus vox* [plena] *ex mente Regis satis ex toto discursu intel-*

[f] Cap. 5. num. 6.

lecta, pro æquipollenti posita est. Non enim dicitur esse ex plena authoritate illud iuramentum, nisi quia nulla est inter homines potestas, quæ illud impedire, prohibere, aut auferre valeat, hæc autem est suprema potestas. Deinde, cum Iuramentum ipsum sit expressè contra Papæ potestatẽ, cùm additur, esse plena potestate legitimè ministratũ, euidenter significatur, potestatem Regiam Iuramentum ministrantem esse superiorẽ potestate Papæ, vel illi æquiualentem. Quod ergò Rex in alijs locis expressè profitetur, hic tectè, & in ipso vsu potestatis vsurpatè inuoluit: vnde qui tali iuramento consentit, plane iurat, actum vsurpatæ potestatis esse actũ legitimæ potestatis, quod est apertum periurium, & confessioni Catholicæ fidei contrarium. Ac deniq; ex his etiam verbis conuincitur Rex, non exigere in hoc iuramento solam obedientiam ciuilem, cum recognitionem, & confessionem plenariæ potestatis suæ ad decernendum contra potestatem Papæ expostulat.

g Num: 7. 7. Tertiò, in vltimis verbis g nonum Iuramentũ additur huius tenoris, hancque recognitionem, & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè,

in vera fide Cstrißtiani viri : Sic me Deus adiuuet. *Quæ est noua confirmatio, & repetitio omnium præcedentium errorum, & confessionis, non solum externæ, sed etiam internæ eorum, vt iurans vel ab interna infidelitate, vel à periurio excusari non possit. Et præterea expendo particulā illam* [voluntariè] *quæ apertū mendacium inuoluit, quod sufficit, vt sine periurio iurari à Catholicis non possit. Nam est euidens, ipsos non voluntarios, sed coactos minis, & terroribus iuramentum præstare. Quia vt ipsemet Rex paulò antea dixerat,* [h] eos, si tali Iuramento renuncient, in discrimen amissionis vitæ, & fortunarum miserè compingi, & contrudi. *Quo modò ergò verè iurare possunt, se voluntariè tale Iuramentum præstare? Illud enim* (voluntariè) *ibi non significat quamcunque voluntatem, sed illam, quæ metu graui, & potenti violentia humana coacta non est, quamque iurans haberet, etiamsi non cogeretur; sciunt autem Catholici, se non habere talem voluntatem, & Rex ipse hoc non ignorat, ergò ex hoc etiam capite iuramentum iniquum est, quod periurium in hoc inuoluit, & exigit.*

h *In Apolog: pag: 5.*

Sec. 6. 8. Hæc

8. Hæc ſunt omnia argumenta, quæ à *Suarez* aduerſus hanc vltimam Iuramenti partem, atque adeò contra totum iuramentum, & ſingulas illius partes congeruntur, quæ tametſi in breuius compendium redigere potuiſſem, quandoquidem eadē argumenta ſępè ſępiùs repetãtur, ne tamen Lector fortaſſis exiſtimaret, me ſententias eius abbreuiando, obiectiones ipſius mãcas, & mutilatas reddidiſſe, omnia eius argumenta eodē ordine quo in ipſo reperiuntur, ad verbū recenſere ſatius eſſe iudicaui. Ex toto igitur eius diſcurſu perſpicuè apparet, præcipua omnia, quæ contra Iuramentum cumulat argumenta, huic ſoli fundamento potiſſimùm inniti, quòd hæreticū ſit affirmare, non eſſe in Summo Pontifice poteſtatem Principes deponendi, eoſque pœnis temporalibus per modū coercitionis caſtigandi, & conſequenter ſubditos à fidelitatis iuramento abſoluendi, & hoc crebrò inculcat, ſe in *tertio* ſuo Libro iſtud euidenter comprobaſſe; cū tamen ſe iſtud ſolidè non demonſtraſſe, Reſponſiones illæ, quas ad

eius argumenta adduximus, sufficienter commonstrent: quo fit, vt collectiones illæ, quas ex hoc incerto fundamento aduersùs aliquam Iuramenti clausulam deducit, maiorem certitudinem habere non possint, quàm ipsum fundamentum, quo nituntur, habere queat.

9 Quapropter ad primam eius Obiectionem *Respondemus*, quòd sicut in prioribus Iuramenti clausulis, nullam propositionen hæreticam, aut erroneam, aliudue illicitum contineri satis superque ostendimus, ita neque in hac Iuramenti parte aliquis error repetitur, declaratur, aut magis exaggeratur, aut prauitas Iuramenti aliquo modo augetur. Neque enim hæreticum est affirmare, vt sæpè sæpiùs diximus, non posse Summum *Pontificem Regem* temporalem deponere, & proinde nec posse subditos a Iuramento Fidelitatis absoluere. Neque hæc positio est contra potestatem ligandi, & soluendi datam S. *Petro* illis verbis, Quodcunque ligaueris &c. in quibus, vt anteà declarauimùs, data est *S, Petro* authoritas, non tempora-

k *De potestate Reg. & Papali. cap. 15.*

lis, sed spiritualis, & spiritualibus tantùm, non temporalibus vinculis ligandi atque soluendi, *stultum enim esset intelligere* (ait Ioannes Parisiensis) [k] *quod per ea datur potestas absoluendi à vinculis debitorum*. Neque aliter hanc potestatẽ vnquam intellexit, aut exercuit Catholica, seu vniuersalis Ecclesia. Nam inter quosdam Summos Pontifices, qui eam postremis hisce seculis docuerunt, & intellexerunt, & vniuersalem, seu Catholicam Ecclesiam, quæ nullo prorsus tempore eam vt rem de fide certam aut docuit, aut exercuit, magnum discrimen constituendum esse, nec ipsemet *Suarez*, vti opinor, inficias ibit. Ad tres illos Canones à *Gregorio* septimo, *Vrbano* secundo, & *Gregorio* nono editos, & & similiter ad illud *Innocentij* quarti decretum in Concilio Lugdunensi; sed non cum Concilio, vt *Suarez* affirmat, contra *Fredericum* Imperatorem sancitum, satis etiam antea [l] respondimus.

l *In Disput. cap 6. sect. 3. nu. 12 & supra part. 1 sec. 5. nu. 5.*

10. *Preterea* concedimus, quòd sicut humana consuetudo, si vniuersalis sit, est optima legum humanarũ interpres

interpres, ſic etiam Eccleſiæ conſuetudo, & vſus alicuius poteſtatis, eſt optima legis a *Chriſto* latæ, & poteſtatis ligandi & ſoluendi S. *Petro* eiuſque Succeſſoribus conceſſæ, dummodo vniuerſalis ſit, & abſque contradictione ab omnibus Catholicis approbata. Conſtat autem, hanc doctrinam pro proteſtate Papali Principes deponendi, & vſum illius, nunquam à Catholicis ita vniuerſaliter receptam eſſe, quin ab ipſius incunabulis ad noſtra vſque tempora non ſolùm à *Principibus* per *Papam* depoſitis, qui talibus depriuationum ſententijs ſe acriter oppoſuêre, verùm à plurimis etiam Doctoribus Catholicis ſemper impugnata fuerit. An non prima huius poteſtatis Principes deponendi praxis ab *Henrico* quarto, quem omnium Imperatorum primum *Gregorius* ſeptimus *præter maiorum morem*, ait Onuphrius, [m] imperio priuauit, tam à pluribus tunc Catholicis, & ita deinceps, ad nupera *Henrici* quarti Regis Christianiſſimi tempora, quem omnium *Regum* vltimū *Sixtus* quintus primum *Nauarra*, & poſtea *Gregorius* decimus quartus Galliarū Regno pri-

m *Lib. 4. de var. creat. Rom. Pont.*

priuauit, acerrimè impugnata est? An non doctrinam hanc, & vsum eius improbauit *Albericus Roxiatus* vir Catholicus, & Iuris peritissimus, qui plura Summorũ Pontificum decreta ad hanc rem pertinentia in corpore Iuris Canonici reposita, & illud præsertim *Innocentij* quarti in Concilio *Lugdunensi* contra *Fridericum* editum reiecit, & *non esse Iuri consona, sed contra libertatem, & iura Imperij prodita esse* existimauit? Quid dicet *Suarez* de illis *Scholasticis*, quos *Tritbemius* refert, & intrepidè affirmat, *sub Iudice litem esse*, de *Ioanne Parisiensi* vtique doctissimo, & eximio quondam in Schola Parisiensi Theologiæ professore, & de *plærisque illis Doctobus*, quos *Almainus* recenset, qui aiunt, *potestatem Ecclesiasticam ex Christi institutione ad nullam pœnam temporalem, qualis est mors, exilium, bonorum priuatio, &c, ne carceris quidem infligendam, sed ad solam pœnam spiritualem, qualis est Excommunicatio, aut alia similis Censura Ecclesiastica, extendi, pœnas autem temporales, quibus vtitur, non ex institutione Christi, sed ex iure purè positiuo, & Principum priuilegijs esse?* De-

nique,(vt *Gulielmum*, & *Ioannem Barclaium*, *Georgium Blackwellum*, *Gulielmum Warmingtonum*, & *Gulielmum Barettum*, qui de hac re ex professo scripserunt, suntque Catholici, vtcunque Aduersarij calumnientur,& plures alios, quos alibi recensui,non tamen ita apertè loquentes prætercam) an non Christianissimum Franciæ Regnum, si *Petro Pythæo* viro verè erudito, & antiquitatis sedulo perquisitori, ait *Posseuinus*, & nupero Parliamenti Parisiensis decreto aduersùm *Suarez* edito,fides adhibenda sit, potestatem hanc Papalem *Reges* suis Regnis priuandi constanter impugnauit?

11 Miror igitur, qua fretus audacia *Suarez* vir alioqui eruditissimus, tam confidenter affirmare non dubitet, hanc consuetudinem Papalem *Reges* deponendi, & subditos ab eorum fidelitate absoluendi esse antiquissimam, & perpetua traditione receptam, cùm ex Historicis, *Othone Frisingensi*, *Godefrido Viterbiensi*, *Trithemio*, *Onuphrio*, *Genebrardo*, & alijs clarissimè constet, hanc Papalem consuetudinem,& vsum Principes de-

ponendi cœpisse circa annum Domini 1077. tempore *Gregorij* septimi, qui primus omnium Romanorum Pontificum Imperatorem Romanum imperio priuauit? *Nam etsi antè Romani Pontifices* (referam *Onuphrij* *verba) *tanquam Religionis Christianæ capita, Christique Vicarij, & Petri Successores colerentur, non tamen eorum authoritas vltra protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Ceterùm Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab eis creabantur, de ijs iudicare, vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius septimus armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum Principum bello ciuili laborantium inflammatus, præter maiorum morem, contempta Imperatoris authoritate, & potestate, cùm Summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum, à quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam Regno, Imperioq; priuare ausus est. Res ante ea sæcula inaudita: Nam fabulas,*

* *Lib.4. de varia creat. Rom. Pont. & in vita Gregorij 7 edita* per Gretzerû.

quæ de Arcadio, Anaſtaſio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror. Hæc *Onuphrius.* Quin & eodem tempore *Sigebertus* vir doctus, & religioſus, illiuſque ſeculi Cronographus, illi *Gregorij* Papæ facto *nouitatis*, ne dicam, hæreſeωs (ſunt enim expreſſa *Sigeberti* verba) notam inuſſit. Et tametſi *Cardinalis Baronius*, & *Bellarminus* infirmis rationibus moti nomen, & exiſtimationem *Sigeberti* fœdiſſimo ſchiſmatis crimine maculare non reformident, inde forſan exiſtimantes, ſe huic antiquo, & illuſtri Scriptori, qui hanc Summi Pontificis *Principes* deponendi, & ſubditos ab eorum fidelitate abſoluendi poteſtatem acriter oppugnauit, fidem, & authoritatem aut penitus detrahere, aut ſaltem non leuiter obſcurare, ſeculis tamen anteactis huius criminis nequaquam inſimulatur, ſed vir valde venerabilis, eruditus, ac religioſus ſcriptor eſt habitus, & quanta veneratione ſapientes illius temporis eum ob morum probitatem, & ſcientiæ multiplicitatem proſecuti ſunt, *Anſelmus* Gemblacenſis Abbas, qui Chronicon eius continuauit, & *Author* hiſtoriæ Abbatum

Gemblacensium sufficiens testimoniũ perhibent. Sed tam frequens est hisce diebus, proh dolor, & à viris præsertim religiosis detestanda, pessima hæc, & fidei Catholicæ scandalosa quorundam consuetudo, viris Catholicis maledicendi, eosque tametsi alioquin pios, ac eruditos, qui suis opinionibus, & factis non applaudunt, *hæreseos*, *schismatis*, alijsq; criminibus nefandis, notandi, eaque, ob leuia quædam fundamenta, & vel falsis, vel fictis, vel incertis, & in sola suspicione fundatis rumoribus innixa, in vulgus spargendi, ac si ipsi famæ, & existimationis hominum Domini existerent, & nullam in tremendo Iudicij die pro *verbis otiosis*, ne dicam, *perniciosis* supremo omnium Iudici rationem reddituri essent.

12. Ad illud, quod *Suarez* affirmat, hanc potestatem Summos Pontifices, qui illa vsi sunt, præsertim *Gregorium* septimum, *Innocentium* tertium, & *Bonifacium* octauum, *summa authoritate, & doctrinà defendisse*; Respondemus, *authoritatem* quidem horum Pontificum, qua hanc potestatem propugnabant, fuisse procul dubio sum-

mam, vt ex ipſis depoſitionum, & abſolutionis ſubditorum ab eorum fidelitate ſententijs, quæ ab iſtis Pontificibus tum contra ipſos *Imperatores*, tum contra eorum ſubditos fulminatæ ſunt, euidenter apparet. Fatemur quoque, prædictos *Pontifices* eruditioné non vulgari, ſed legum præſertim peritia fuiſſe inſtructos, ſed ſimul etiam negare non poſſumus, tum Catholicos illos, qui talem poteſtatem non approbarunt, fuiſſe etiam non mediocriter eruditos tum rationes, & argumenta, quæ ab iſtis Pontificibus ad talem deponendi, Principes poteſtatem comprobandam adducta ſunt, non eſſe ſatis firma, vt quilibet vir doctus, qui eorum hac de re Epiſtolas, literaſque Decretales attenté perlegerit, illico perſpicere poteſt, & nos etiam alibi, contra *Card. Bellarminum*, qui præcipua eorum argumenta in vnum quaſi corpus congeſſit, perſpicuè commonſtrauimus, & poſteà contra Doctorem *Schulckenium* dilucidiùs, deo volente, oſtendemus. Et quod attinet ad Epiſtolam *Gregorij* ſeptimi, quæ plus cæteris commendari ſolet, præterquam quòd nihil mo-

menti in ea contineatur, quod *Card. Bellarminus* in suis controuersijs non inculcauit, & cui a nobis in nostra *Apologia* abundè satisfactum non est, *Sigebertus* Monachus Gemblacensis, qui præteritis seculis vir bonæ existimationis, eximiæ probitatis, & singularis doctrinæ a sapientibus illorum temporũ est habitus, asserit,[n] *se rogatu Henrici Archidiaconi, & Decani Ecclesiæ Sancti Lamberti validis Patrum argumentis illi Epistolæ respondisse, quam Papa Hildebrandus scripsit ad Hermannum Metensem Episcopum in potestatis Regiæ calumniam.*

n *In Catalogo.*

13 Et tametsi liber iste *Sigeberti* in catalogo librorum prohibitorum nunc repositus sit, nunquam tamen *Suarez* probare poterit, ea de causa hunc librum prohibitum fuisse, quòd doctrinam hanc, quæ Summo Pontifici Principes deponendi attribuit, impugnauerit. Præterquam quod quantam authoritatem, quantamque vim Catalogus ille obligandi fideles ad credendum, quoscunque libros, qui in illo Indice vt errorem, aut hæresim continentes authoritate Sancti officij collocantur, verè erroneos, aut hære-

ticos esse, alibi forsan examinabitur, illudque discutiendi, nostramque innocentiam defendendi, & Aduersariorum fraudes atq; calumnias detegendi, ipsemet Card. *Bellarminus* supremus illius Officij Secretarius, quo consultore authoreque, vt verisimile est, præcipuo, tam mea, quam vtriusque *Barclaij* pro Iure Principum aduersus ipsum *Apologia* in illo Indice reponenda ab ipso *Bellarmino*, alijsque quatuor eiusdem congregationis Cardinalibus decernitur, quique in propria sua causa & accusator, & testis, & Iudex esse voluit, mihi alijsque Catholicis, quos ipse *heresews* falsò insimulat, occasionem iustam, & necessariam subministrauit.

14 *Præterea*, non negamus, *Innocentium* tertium, & *Bonifacium* octauum (de quo tamen *Bonifacio* quid *Ioannes Tillius* Episcopus Meldunensis in suo Chronico scripserit, superiùs [o] retulimus) in ea fuisse sententia, quod principes deponendi potestatem haberent, sed simul etiam affirmamus, tum contrariam opinionem tuta conscientia a Catholicis sustentari posse, tum ea pronunciata, quæ & in cap: *Venerabilem*

o *In Disputat*: *cap*: 10. *sec*: 2. *num*. 48.

Venerabilem de translatione imperij a Græcis ad Germanos per Sedem Apostolicam facta, & in Extrauag: *vnam Sanctã* de subiectione gladij ad gladium reperiuntur, nisi in eo sensu, quem antea p explicauimus, intelligãtur, non esse ita indubitatè vera, quin ad ea optimè, vt ibidem diximus, Responderi possit.

p *In Apolog. num.* 413. *& seq. & in Disput. cap* 3. *sec.* 1. *num.* 19. *& supra part.* 1. *sec.* 8. *num.* 14. *&* 15.

15 Neque verum est, *Regiam Maiestatem* subditos compellere, vt fide diuina, & supernaturali credant, non esse in Summo Pontifice potestatem Principes deponendi, & subditos ab eorum fidelitate absoluendi, sed solùm vt externam suæ humanæ, & moralis fidei, seu persuasionis professionem faciant, talem potestatem Summo Pontifici non competere: quæ doctrina, cum credibilis sit, & fide humana prudenter credi queat, etiam ore affirmari, & iuramento firmari tuta conscientia à subditis potest: & cum etiam probabile sit, hoc Supremorum Principum ius, libertatem, & immunitatem (quòd nempe à Summo Pontifice pœnis temporalibus coerceri non possint, cùm ipsi neminem præter Deum Superiorem

recognoſcant) eſſe ius quoddam temporale quibuſcunque ſupremis Principibus, ex lege DEI, & naturæ conceſſum, conſequenter etiam probabile eſt, plenam & legitimam authoritatē Principibus competere ſubditos ſuos pœnis temporalibus cogendi, vt idem interpoſito iureiurando exteriùs profiteantur, ſi talis profeſſio ob rationes verè probabiles ad *Regiæ Maieſtatis* ſalutem, & externam Reipublicæ pacem conſeruandam neceſſaria eſſe iudicabitur. Nec propterea Angli Catholici credunt, (ſi de fide humana, ſeu morali ſermo ſit) talem authoritatem Principes deponendi Summo Pontifici non eſſe conceſſam, quòd *Rex cum ſuis Miniſtris* illud credant, ſed quoniā in ſe probabile eſt, & prudenter credi poteſt, atque inſuper quia multi eruditi Catholici ob rationes verè probabiles, quæq; argumentis demonſtratiuis impugnari nequeunt, illud etiam credunt.

16 Quapropter illa declaratio, quam *Suarez* adhibet circa abſolutionem iuramentorum per materiæ immutationē illam auferendo, & quaſi irritando, non maioris momenti eſt,

quàm ſit illud, quod ſupra de poteſtate Papali Principes temporaliter coercendi ab eo dictum eſt. Non enim erroneum eſt affirmare, vt ſæpiſſimè diximus, non eſſe in Summo Pontifice ex Chriſti inſtitutione poteſtatem Principes temporales pœnis temporalibus coercitiuè puniendi. Atque ita hæc Iuramenti pars ad ſuperiores revocatur, & neque apertè, nec tacitè continet profeſſionem alicuius erroris contra Primatum Pontificis, aut vllã aſſertionem de Primatu Regis in ſpiritualibus, vt *Suarez* perperam aſſeuerat, eiuſve abſoluta exemptione ab obedientia Pontificis, niſi in ijs duntaxat cauſis, & negotijs, quæ res eſſe temporales probabiliter iudicantur, quæ quidem exemptio, ſeu immunitas Regum à ſubiectione Pontificis in temporalibus, res temporalis eſt, & cuicunque Principi abſoluto, qui ſolo DEO in temporalibus minor eſt, iure diuino, & naturali conceſſa.

17 Denique ad illud, quod *Suarez* affirmat, [*poſſe nimirum Summum Pontificem in duplici ſenſu vero, & Catholico iurantem ab hoc Iuramento abſoluere; primus eſt, quoniam Iuramentum*

istud iniquum est, & propterea non ligat iurantem, & propterea potest Summus Pontifex speciali authoritate iurantem absoluere, id est, declarare eum non esse ligatum: alter est, posse eum à Iuramento, id est, à peccato in talis iuramenti exhibitione commisso iurantem absoluere;] non alia opus est Responsione, quàm quæ superiùs allata est: nam primus sensus supponit, iuramentum esse ex se illicitum, quod hactenus à nemine sufficienter comprobatum est; alter non est verus illius verbi (*absoluere*) in hoc Iuramento contenti sensus, vt superiùs in nostra *Disputatione* istam Iuramenti clausulam examinantes obseruauimus.

18. *Ad secundam obiectionem Respondemus*, negando in hac Iuramenti clausula fieri confessionem supremæ potestatis *Regiæ* in spiritualibus. Nam tametsi particula illa, *suprema authoritas*, [quæ vtrùm ex industria vitata sit, ne fortè simpliciores deterreret, neq; à *Suarez* sciri, neque probari potest] idem planè significet, quod *plena authoritas*, attamen, *plena authoritas*, in hac Iuramenti clausula pro *suprema authoritate*, in ordine & gradu

ciuilis authoritatis accipitur. Et quãtumuis *Rex* credat, se in suis Dominijs *plenam*, seu *supremam* in causis omnibus tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus auctoritatẽ habere, nunquam tamen *Suarez* probare poterit, sub illis verbis [*plena authoritate*] omnem planè tã in causis Ecclesiasticis, quàm in ciuilibus authoritatem in hoc Iuramento, dico *in hoc Iuramento*, (nam de alijs Iuramentis non est sermo) ex mente Regis comprehendi: tametsi hæc authoritas ex mente Regis tam plena, & suprema sit, vt nulli in terris authoritati temporaliter subijciatur, neque ipsemet Papa potestatem habeat iurantem ab ijs rebus adimplendis, quas in hoc Iuramento adimplere promittit, absoluendi, vt superiùs in nostra *Disputatione* hanc Iuramenti clausulam expendentes fusiùs commonstrauimus. Neque Iuramentum istud aut expressè, aut tacitè est contra illam *Papæ* potestatem, quã *Christum Dominũ* illi concessisse certò constat, sed solùm contra illam potestatẽ, quã pij & eruditi Catholici non esse à *Christo Summo Pontifici* datã, sed Principibus Secularibus ex lege *Dei*,

& naturæ communicatam probabiliter exiſtimant. Atque ita *Regia* poteſtas temporalis hoc Iuramentum miniſtrans, tametſi ſpirituali *Papæ* poteſtate ſuperior non ſit, attamen in cauſis temporalibus, qualis eſt miniſtratio Iuramenti temporalis fidelitatis, illi non ſubijcitur, eoque reſpectu illi negatiuè æquiualens, id eſt, quoad ſubiectionem, illâ non inferior dici debet, quantumuis ſpiritualem poteſtatem, cui omnis poteſtas temporalis in cauſis ſpiritnalibus modo ſæpiùs explicato ſubiecta eſt, temporalem dignitate, ac nobilitate antecellere nemo negare poterit. Denique, neq; *Rex* in hoc Iuramento aliquam recognitionem, & confeſſionem plenariæ poteſtatis ſuæ ad decernendum contra poteſtatem *Papæ* expoſtulat, quod *Suarez* nulla ſolida ratione motus toties inculcat, ſed ſubditos duntaxat cogit, vt recognoſcant, & profiteantur circa poteſtatẽ Regis illud, quod licitè profiteri, & ad quod profitendum Regia authoritate licitè compelli poſſunt, cum talis profeſſio, vt ſæpiùs diximus, ex ſe licita ſit, & ad ſalutem Regis, & externam Reipulicę

pacem conseruandam necessaria esse ob rationes verè probabiles iudicetur.

19. *Ad tertiam obiectionem* superiùs in nostrà *Disputatione* copiosè respondimus [q] (est enim idem planè argumentum, quod P. *Parsonius* aduersùs licitam Iuramenti susceptionem confecit, atque perspicuè comprobauimus, Iuramentum istud, posito quod sit licitũ, & legitima authoritate ministratum, (quod à quouis supponi debet, priusquam se illo obstringere tutâ conscientia queat) à quouis fideli subdito, & erga *Regiam Maiestatem* bene affecto *voluntariè* suscipi posse & debere, tametsi vocabulum istud [*voluntariè*] in eo sensu, quo *Suarez* illud intelligat, accipiatur, & propterea prius probari oportet, aliquam aliam Iuramenti partẽ illicitam esse, & plus quàm ciuilis obedientiæ professionem in se continere, quàm aduersùs hanc clausulam iusta aliqua exceptio fieri possit.

q *Cap. 9. sec. vnica.*

SEC.

SEC. 7ª. & vltima.

Vnica obiectio, quam Suarez *contra Iuramentum in generali vrget, diluitur; Eum non fuisse rectè informatum ostēditur, & sic Appendix ista cum breui ad* Suarez *peroratione concluditur.*

1. ECce (studiose Lector) omnia argumenta, quæ *Suarez* aduersus singulas Iuramenti clausulas speciatim adducit, à me breuiter examinata: Vt autem Iuramentum istud aliquid vltra ciuilem obedientiam in se complecti generatim demonstret, eandem vrget obiectionem, quam *Card. Bellarminus*, & *Lessius* ex titulo Edicti, in quo Iuramenti susceptio[a] præcipitur, confecerunt: Nam in Edicto Regio, [b] *vbi hæc iurandi formula continetur, titulus illi superscriptus erat,* Ad detegendos, & reprimendos Papistas, *id est, Catholicos, & Papæ obedientes, eiusq; Primatum recognoscentes, at verò si Iuramentū solam fidelitatem ciuilem, & temporalem obedientiam exigeret, non posset esse signum discernens Papistas à Sectarijs, seu Apostatis à Papa,*

a *In Disp. cap. 10. sec. 1.*

b *Cap. 6. num. 5*

quia obedientia ciuilis cõmunis est omnibus; nam illi, qui Papæ obediunt, iustã obedientiã ciuilem suis Regibus non negant. Ergò tale Iuramentum non alia ratione dictum dicitur ad detegendos Papistas, nisi quia illud admittentes, eo ipso censentur renunciare Papæ, eiusq; potestatem abiurare, & è contrario qui illud recusant, eo ipso ostendere se fideles, & obedientes Papæ, non ergò datur propter solam obedientiam ciuilem. Nam (vt ipse etiam Rex totis viribus contendit) obedientia ciuilis non pugnat cum Romana religione, ac subinde neq; cum obedientia Papæ, quam profitentur hij, quos Rex Papistas vocat.

c Num. 6.

2. *Præterea* [c], *in eodem Edicto Regio duo Iuramenta continebantur suis titulis distincta, vnum* de Primatu Regis in spiritualibus *inscribebatur, quale fuit Iuramentum sub Elizabetha vsitatum. & à Rege Iacobo promissione quadam locupletatum, vt supra in Præfatione notauimus. Aliud verò præscriptum erat,* Contra potestatem Pontificis in Principes Christianos; *quod non est aliud nisi quod nunc Rex vocat Iuramentum fidelitatis, nullum enim aliud in illo Edicto ferebatur, neq; de alio hactenus*

mentio facta est, ergo ex ipsa inscriptione constat, hoc Iuramentum continere potius abiurationem potestatis Pontificis in Reges, quam fidelitatem subditorum erga Regem. Nam illud est & directè intentum, vt Inscriptio ostendit, & proximè, ac expressè per verba declaratum, sæpiusque repetitum, aliud autem indirectè ad summum, ac remote, seu per consequutionem quandam in ipso Iuramento continetur, licet fortasse ab ipso Rege fuerit per se, ac principaliter intentum. Vnde non immeritò notare hîc possumus, & applicare distinctionem Scholasticorū, & moralium Philosophorum de intentione operantis, & operis, & de intentione finis, & electione medij propter finem. Rex enim principaliter intēdere potuit per hoc Iuramentum fidelitatem ciuilem subditorum, & suarum rerum, suæque personæ securitatem, ac indemnitatem, medium autem, quo ad illam obtinendam vsus est, fuit abiuratio Pontificiæ potestatis, & ita licet prior finis fuerit fortasse præcipuus in operante, id est, in Rege instituente Iuramentum, nihilominus in ipso Iuramento proprius scopus, & quasi obiectum eius, est abnegatio Pontificiæ potestatis, & hoc modo dicimus esse principalem finem operis,

 ris,

ris, id est, talis Iuramenti, quia est intrinsecus finis, & proxima eius materia, vt in singulis eius partibus declaratum est. Et ita quicquid sit de intentione principali Regis, de qua non curamus, neque illum mendacij arguere volumus, dubitari non potest, quin Iuramentum ipsum, quo Rex vt medio vsus est, excesserit terminos obedientiæ ciuilis, & ad illam muniendam, vltra quàm par est, potestatem Pontificiã inuaserit, eam abiurando, simulq; fundamenta fidei euertendo, & abnegando. Ita *Suarez.*

3 Ad hanc obiectionem copiosè à nobis in nostra *Disputatione* [d] responsum est; Et *primò*, in illo *Parliamenti* Edicto multas leges sancitas esse, & ipsemet Card. *Bellarminus* quatuordecim enumerat, quarum pars longè maior non pertinet ad Iuramenti susceptionem, sed solùm ad detegendos, & reprimendos Pontificios Recusantes in rebus ad religionem spectantibus, & propterea titulum ipsius Edicti optima ratione eo modo inscribi potuisse nomenclatura ex maiori parte earum legum, quæ in Edicto continentur, desumpta, iuxta illud vulgatum, *Denominatio fit à maiori parta. Secundò,*

d *Cap. in sec.* 1.

si

si Card. *Bellarminus*, & *Suarez*, non solùm totius Edicti titulum, verùm etiam ipsiusmet Decreti de Iuramento suscipiendo *proœmium*, quod illius *titulum* implicitè includit, diligenter attendissent, facillimè perspicere potuissent, quinam erat finis, cuius gratia Iuramentum istud à *Parliamento* confectum est; his enim verbis *Proœmium* ad Iuramenti susceptionem stabiliendam expressè continetur: *Atque ad melius dignoscendum, quo animo Maiestatis suæ subditi, quod ad eorum fidelitatem, & debitam obedientiam spectat, affecti maneant, eadem authoritate etiam decernatur; &c.* Vera igitur *Regis*, & *Parliamenti* in hoc Iuramento excogitando mens, institutumque erat, ad experimentum capiendum, quinam Catholici fideles subditi, & quinam perfidi essent. Non deerant illis media, seu signa aperta & manifesta, vt puta Iuramentum Primatus Regij, & abnegatio Primatus Pontificij in causis Ecclesiasticis, atque decreta de templis Protestantium quovis mense adeundis, & plura alia ad detegendos Catholicos (quos Papistas, & Pontificios Recusantes vocant) in rebus

quæ ad religionem pertinent, abſque eo quod medium tam ineptum,& penitus inſufficiens, quale eſt iſtud fidelitatis Iuramentum, meditarentur.

4 *Tertiò*, tametſi gratis concederemus, non ſolum titulum totius Edicti, in quo tamen vt iam diximus, plures leges ad Religionem pertinentes continentur, verùm etiam ipſius Iuramenti inſcriptum fuiſſe *ad detegendos, & reprimendos Pontificios Recuſantes*, hinc tamen non rectè concludi ibidem commonſtrauimus, Iuramentum iſtud aliquid vltra ciuilē obedientiam continere. Non enim Iuramentum à *Rege*, & *Parliamento* in eum finem inſtitutum eſt, ad detegendos Catholicos in rebus, quæ ad Religionē Catholicā,& obedientiā, quā ſpiritualē eſſe, & Summo Pontifici ex lege *Chriſti* debitā pertinere certò conſtat, ſed ſolùm in illis rebus, quas ad obedientiā ciuilem, ideoq; Principibus Secularibus iure exhibendam ſpectare pij, & eruditi Catholici probabiliter opinantur, vt ex præfatis *Parliamenti*, & ſequentibus *Regis noſtri Sereniſſimi* verbis, quæ ibidem etiā retulimus, perſpicue deduci poteſt.

e In Apolog. parum à principio.

Pars 2. Nec

Nec in *alium finem*, ait Rex, *constitutum est iuramentum, quàm vt non modò inter fideles subditos, & perfidos proditores discrimen aliquod extaret, sed etiam inter illos, qui quamuis ceteroqui Pontificiæ religioni fauerent, retinerent tamen impressa pristini officij in cordibus vestigia, & inter hos, qui eodem fanatico superstitionis zelo perciti, quo nitrati pulueris proditores, abriperentur extra debitas fidelitatis metas, crederentq́ disparem Religionis cultum iustissimum esse prætextum contra Regem coniurandi.* Et in Præfatione Monitoria non longè à principio, *Huius*, inquit Rex, *Iurisiurandi vnus ille finis erat, vt Pontificij nequaquam turbulenti, cæteraq́ boni ciues, ab eis dignoscerentur, quorum animis opiniones illæ furiosæ, & sanguinariæ inhæserant, quæ coniuratione nitrati pulueris pepererunt.*

5. Quamuis igitur Iuramentum illud, quod tam Protestantibus, quàm Catholicis (quos illi Pontificios Recusantes vocant) commune est, non possit iudicari medium, seu signum aptum ad detegendos Catholicos in rebus, quæ ad Religionem spectant, potest tamen esse medium, seu signũ aptissimũ ad detegendos Catholicos,

eosque abinuicem distinguendos in rebus, quæ ad ciuilem obedientiam pertinent, seu ad dignoscendum, quomodo Catholici subditi in rebus, quæ ad fidelitatem pertinent, affecti maneant. Et tametsi veram fidelitatem Principi temporali iurare tam Protestantibus, quàm Catholicis commune sit, vtpote Principibus legitimis, quamcunq; religionem profiteantur, ab omnibus suis Subditis ex lege *Dei*, & naturæ exhibendam, nihilominus, sicut de illis rebus, quæ ad ciuilem obedientiam, veramque fidelitatem requiruntur, magna tum inter ipsos Catholicos, tum etiam inter Protestantes opinionum diuersitas esse potest, vt exempli causa, vtrùm obedientia ciuilis Principi debeatur, postquã per Papam excommunicatus, vel depriuatus fuerit? vtrùm potestas spiritualis possit Principes non solùm dominijs, verùm etiã vita priuare? vtrùm Summus Pontifex sit Supremus *Rex* temporalis, directusque Dominus in temporalibus totius Orbis Christiani, vt *Canonistæ*, quos *Card. Bellarminus* acriter impugnat, mordicùs tenent, & alia huiusmodi? ita etiam de illis re-

bus, quæ à Principibus ad veram fidelitatem iureiurando confirmandam præcipi possunt, magna inter vtrosq; dissensio esse potest.

6. Et profectò Princeps temporalis plenam potestatem, & authoritatem habet, non solùm verbis generalibus fidelitatis Iuramentum à Subditis exigendi, sed tale etiam Iuramentum in particulari, quod (dummodo in se licitum sit) *Rex* & *Parliamentum* ad futuris conspirationibus, & perturbationibus in Republica obuiam eundum, atque ad Subditorum animos, in rebus quæ ad fidelitatem spectant, malè affectos detegendos pro re nata, & circumstantijs occurrentibus necessarium esse prudenter, ac probabiliter iudicabunt. Et quoniam eo tempore, quo iuramentum istud conceptum est, plures, & vrgentiores causæ (ob barbaram illam, & prorsus inhumanam nitrati pulueris conspirationem tunc recèns detectam) *Regi nostro Serenissimo*, & *Parliamento* oblatæ erant, quibus meritò induci poterant, vt Catholicorum potiùs, qui nefandissimæ illius proditionis Duces, Authores, & Actores erant, quàm Protestantium

fidelitatem suspectam haberent, idcircò titulus Edicti, in quo Iuramentum istud præscribitur, iure optimo inscribi poterat, *Edictum ad detegendos, & reprimendos* non rebelles solùm in generali, neque Protestantes rebelles, sed ad *Pontificios*, quos Catholicos vocant, rebelles, quorum fidelitas tunc toti Regno, vt dictum est, magis suspecta erat, detegendos, & postquam detecti fuerint, pœnis acerbioribus reprimendos. Hæc & plura alia ad eandem obiectionem pertinentia, loco citato a me dicta sunt, quę, ne lectori nimium molestus sim, lubens prætermitto, cum ea, quæ iam diximus, præsenti *Suarez* argumento ex titulo Edicti desumpto abundè satisfaciant.

7 De hoc demum doctissimum *Suarez* admonendum esse vellem, non fuisse eum de hac re, quam tam confidenter affirmat, rectè informatũ, *nempe in eodem Edicto Regio, vbi hac iurandi formula continetur, duo Iuramenta contineri suis titulis distincta*, *vnum* de Primatu Regis in spiritualibus *inscribitur, Aliud verò præscriptũ est*, Contra potestatem Pontificis in Principes Christianos, *quod non est aliud, nisi quod*

nunc rex vocat iuramentum fidelitatis, &c. Neque enim vel in illo Regio Edicto, vel in aliquo alio vlla reperitur iurandi formula hoc titulo inſcripta, *Contra poteſtatem Pontificis in Principes Chriſtianos*; neque etiam verum eſt, quod ipſe inferiùs[f] ſe fide digna relatione ſcire affirmat, *nempe ſuperiori animo decretum eſſe, vt omnes ſubditi etiam nouum Iuramentum fidelitatis tertiò recuſantes, capite damnentur*; ſicut neq; illud[g], *certaq; relatione iam accepimus aliquos ob ſolam illam recuſationem eſſe in Anglia interfectos.* Et propterea magis cautus in poſterum debet eſſe *Suarez*, ne in falſis, fictiſque informationibus credendis, illiſque pro fide dignis, certiſque relationibus diuulgandis adeò facilem ſe præbeat.

f Cap. 10. nu. 13

g Cap. 11. nu. 10

8 Quapropter neque intentio Regis *in hoc Iuramento*, dico ſemper *in hoc Iuramento*, eſt negare illam ſpiritualē Summi Pontificis poteſtatem, quā Summi Pontificis eſſe certiſſimè conſtat, ſed legitimum duntaxat ſupremorum Principum ius, immunitatem, ac poteſtatem aſtruere, neque in ipſa iurandi formula aut talis ſpiritualis poteſtatis abiuratio continetur, aut fun-

damenta fidei euertuntur, & abnegantur, vt nimium præcipitanter *Suarez* pronunciat. Et proinde illa distinctio, quam ipse adhibet de intentione operantis & operis, de intentione finis, & electione medij propter finem, de intentione Regis, qui affirmat, mentem eius esse solam ciuilem obedientiam, a subditis exigere, & de intentione, seu fine ipsius iuraměti, in quo abiuratio Pontificiæ potestatis, & Catholicæ fidei expresse continetur, non potest ab eo præsenti materiæ apte accomodari. Nam tam intentio Regis, quàm electio medij, huius nempe Iuramenti, ciuilia sunt, neque terminos potestatis, atque obedientiæ ciuilis excedunt, neque vllam Catholicæ fidei abnegationem in se comprehendunt, vt euidenter, meo quidem iudicio, in superioribus commonstratum est.

9 *Reliquum iam est vt te (vir doctissime) enixe postulemus, vt clariorem (sicut Regi nostro pollicitus es)* nouæ istius, quæ in te est fidei rationem reddere, *nobisq; Anglis Catholicis in his, quas proposuimus difficultatibus satisfacere velis, & illas, quas tuis argumentis Responsiones adhibuimus, vel solide impugnes,*

pugnes, vel vt improbabiles impugnari non posse syncerè, & absq; vllo humani fauoris, aut timoris respectu fateri non erubescas. Dignum sanè, & pium esse iudico, vt Catholici Doctores libertatem Ecclesiasticam, illamq; Sedis Apostolicæ authoritatē, quam Christus Dominus illi concessit, vijs debitis extollant, sed Regiam immunitatē, *illamq; Principũ temporalium prærogatiuam, quam idem Christus, & natura illis largiti sunt, sub fuco præsertim religionis Catholicæ promouendæ deprimere, impium profectò, & Christianis Theologis indignum, atq; Religioni Catholicæ scandalosũ esse nemo dubitare potest. Veram Christi fidem prædicare, & veritatem Catholicam propugnare Catholicorum Doctorum munus esse nemo inficias ibit, sed nouas, & seculis prioribus incognitas opiniones in Scholas Christianorum invehere, & incertas quorundam Doctorum, siue ex Scriptura, siue ex Concilijs, siue ex sacris Canonibus collectiones pro indubitatis fidei Catholicæ dogmatibus Catholicis obtrudere partim periculosum, partim puritati Euangelicæ est quàm maximè dissentaneum. Fateor equidem, doctrinam hanc pro potestate Papali Principes deponendi, siue temporalem, siue spi-*

ritualem eam vocare velis (neq; enim de nomine tecum contendam) non esse omninò nouam, sed à temporibus Gregorij septimi (qui primus omnium Romanorum Pontificum præter morem Maiorum, (ait *Onuphrius*) Cæsarem priuare ausus est,) *à pluribus Catholicis magna vi propugnatam. Sed quod doctrina hæc certa sit, Catholica sit, de fide tenenda sit, vt tu contendis, & quòd contrariam tenentes hæreseωs, erroris, aut temeritatis condemnandi sint, aut quòd penes Pontificem sit potestas Principes temporales, qui gladium portant, gladio interimendi, vt tu nimis præcipitanter asseris, hoc tum in Ecclesia novum, tum fidei Catholicæ valde scandalosum, tum à te nimis exiliter comprobatum esse affirmare non pertimesco. Neque tu Marsilium Paduanum, aut illi similes idcirco Ecclesiæ hostes ab Ecclesia iudicatos esse, quod doctrinam hanc pro potestate Papali Principes deponendi, & pœnas temporales coercitiuè infligendi impugnauerint* (de qua tempore *Trithemij* certabant Scholastici, & tunc sub *Iudice lis erat, & quam pleriq; Doctores temporibus Almaini* oppugnabant, vt Christianissimũ Franciæ Regnum nunc taceam (in cuius

Regia ciuitate liber tuus ex Decreto Parliamenti ob hanc *ſcandaloſam, ſeditioſam, damnabilem*, ac *pernicioſam*, vt ibi dicitur, *doctrinam* publicè per manum Carnificis iam nuper combuſtus eſt) tametſi pro ſingulari tua eruditione, & aſſidua in Scholaſticis concertationibus exercitatione plurimū procul dubio in diſputādo valeas, viris eruditis, & qui ratione non affectu res æſtimant, vnquam, meo quidem iudicio, perſuadere poteris. Ais, te non propter victoriæ laudem, aut ingenij, vel doctrinæ oſtentationē vincere optare, ſed vt veritas ipſa vincat, & errorum tenebræ depellantur, & vt Chriſtus in omnibus regnet, hoc maximè in votis habere; *veruntamen, pace tua dixerim, ieiuna hæc tua, ſatis tamen aſtuta grauiſſimæ huius controuerſiæ examinatio, & nimium ſeuera ſententiæ, quam impugnas, atq; è Scholis Chriſtianorum explodere contendis, abſq; ſolido fundamento condemnatio, cùm in cæteris difficultatibus enodandis ne minimas quidē dubitatiunculas, quæ contra tuam ſententiam, eiuſuè fundamenta obijci poſſunt, prætermittere ſoleas, non leuem quibuſdā ſuſpicionem ingerit, te aut affectu magis,*

quàm ratione motum, aut vt tempori seruias, aliorumq; voluntati, non propriæ tuæ sententiæ te accommodes, tam rigidum in hac controuersia dirimenda Censorē egisse. Compleas igitur opere, quod ore professus es, neque nimia amoris, aut timoris humani affectionos à veritate sincerè indaganda, aut inuenta liberè promulganda vllatenus abducat, sed memores simus, nos pro verbis etiam otiosis, quantò magis pro perniciosis, & quæ sub fucata Religionis specie Principum supremorum, siue spiritualium, siue temporaliũ, iuribus derogant, & plurimorum Catholicorum doctrina & pietate illustrium famam iniustè lacerant, in extremo Iudicij die rationē exactissimã reddituros esse.

Eandē submissionē, qua omnia mea scripta sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ iudicio ac Censuræ in fine meæ de Iuramento Disputationis humillimè subieci, hîc quoq; reponendã esse volo.

Errata corrigenda.

IN titulo lin. 4. lege *qua*. Ad Lectorem pag. 3. l. 7. *illamque*. In Indice l. 2. *hae*. & linea penultima *ista*. p. 1. l. 2. *Iuramento*. & l. 5 *hauc*. p. 4. l. 17. *d nuo*. p 8. l. 2. *quæ*. p 13. l. 18. *purè*. p. 29 l. vlt. *infectæ*. p. 41. l. 2. *pertimebat*. p. 50 è regione lineæ 4. addatur in margine. *b in Apologia nu.* 443. *& seq*. p. 82. l. 6. *Rempub* p. 94 l. 9. *Petilianum*. p. 107. l. 14. *a thoritatem*. p. 109. l 21 *consensu*. p. 114 l. 20. *separari*. p. 138. l 28. *assasinis*. p 151. l. 3 *profiteantur*. p. 168. l. 14. *ad abnegandam*. p. 206. l. 12. *Ioan*. p. 210. l. 7. *Ecclesiasticæ*. p 220. l. 4. *suæ*.